

pa rru c  
ys lruu b  
 ierroum b  
ex xv a  
 m r f  
m r b  
tu u b  
ys xv m a  
exo rru b  
ru rru a  
y r r b

neltet p̄nus i corin  
 q̄i p̄nnus mēdunus  
 unūse iusticie.  
 pone uetes p̄nnos  
 s̄o cubito manuū t̄.  
 r̄ sale salica r̄ r̄.  
 brachiū p̄hens̄ ois  
 p̄ ut ligaretur p̄na  
 necnō q̄ cōmittat̄  
 missuara.  
 in ueietis p̄nnis  
 in uolutū.  
**Papirus.** sup̄ aq̄s  
 in uasis papirus  
**Papilio.**  
 statat unūsq̄sq̄  
 ostio papilionis.  
 tacham q̄ abiuon  
 lare eḡa in i corin  
 archam d̄i (papilio  
 r̄ r̄ q̄ uca habitat  
 in papilionibz.  
**Papula.**

Handwritten text at the top edge of the page, possibly a title or header, which is partially obscured and difficult to read.

2.  
3.  
4.  
5.  
6.


We. 62.



1. Bodenstein, L. A., Jurisprudentiae politicae libri duo.
2. Rennemann, H., De legitima ratione recti disputanti.
3. Schneider, A., Repetitio L. Transigere 18 § de Transact.
4. Decas votorum camerarum - colligente  
Autq. Pulant.
5. Lipsius, J., de bibliothecis syntagma.
6. Cramer, A., Concertatio de primatu philosophi,  
medici, jurisconsulti, duci bellici.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, written in a medieval script.





hier nimb. 2. 2. 2. 2. 2.

HENNINGI RENNE-  
MANI PAPÆBURG. SAX.  
PH. ET J. U. D.

*De legitima ratione rectè*

# DISPUTANDI


*Commentatio*

PUBLICÆ DISPUTATIONIS IN  
ACAD. ERFURTENSI EXAMINI  
subjecta:

RESPONDENTE  
CASPARE BUSSIO CALEN-  
BERGO SAX.  
*In Auditorio publ.*

COLLEGII SAXONUM.

*Cum Privilegio D. Elect. Sax. & Reip. Erfurt.*



JENÆ,

Typis Christophori Lippoldi.  
*Impensis Henric. Birnstilii Bibliop. Erfurt.*

Handwritten text on the top edge of the book block, likely bleed-through from the reverse side.

HEINRICH RINGELMANN  
M. A. 1811

DISPENSATION

PERBEN

CASUS

...

...

...

...

...

...







CIRCUMSPECTA PRUDEN-  
TIA, ET EXIMIA VIRTUTE,  
viro præstantissimo;

DN. TILOMANNO  
BUSSIO,

REVERENDISS. & ILLUSTRISS. HAL-  
BERSTADENSIVM POSTUL. EPISC.  
ET BRUNOVICENSIVM atq;  
LUNÆB. DUCIS,

DITIONI KALENBER-  
GÆ PRÆFECTO: COMPATRI  
& amico meo plurimum co-  
lendo:

**S**I QVIBUS VISUM FUE-  
rit, visa commentationis hujus ad  
disputandum, proposita materia,  
nos operam hic rei vel non magnæ, vel pa-  
rum fructuosæ navasse forsitan odiosam. hi  
vel iniqui, & invidia fastûve turgidi adver-  
sus studia literarum fuerint hujus rei æsti-  
matores: vel rerum imperiti, atq; ita judices  
de colore cœci. Qvippe sicut hac in statione  
locatos oportet hoc studiorum progymnas-  
ma nobilissimum; unicum illud veritatis in-  
vestigandæ, ingenii exacuendi, præclaros in  
(:) 2 studiis



studiis progressus faciendi organum, inter  
Discipulos dare diligenter & accuratissime  
excultum: sic illis ipsis, de legitima id exco-  
lendi, & recte constituendi ratione curiosis-  
sime videndum: cum, quo id est præclarus,  
fructuosus, & nobilius legitimo modo, &  
ex usu vero comparatum: sic contra nihil sit  
eo fœdus, perniciosus, & contemptus, si  
ad abusum sit, fractis legum, quibus regi de-  
buerat, repagulis abreptum.

Ut enim ex verò illius secundum rectos  
legum tramites usu comparatur veri inda-  
gandi, sensa animi facunde pro tempore pro-  
ferendi, acumen ingenii exercendi, sollerter  
de rebus judicandi, & sophisticis cavillatio-  
nibus occurrendi sollers facultas: sic ex pra-  
vato ejusdem, prostratis & evulsis legum  
terminis abusu, non nisi scurrilis cavillatio-  
nis, anilis altercationis, odiosæ de frigidissi-  
mis quibusque nœniis vociferationis, & pro-  
culcatæ tandem veritatis studium progermi-  
nat. Adeo ut nihil è re studiosorum magis  
esse adpareat: quam si veram & legitimam  
veræ Disputationis rationem sibi præmedi-  
tata & explorata habeant.

Quam ne facilissimam illi, & vulgo cuivis  
tritam, adeoque positam extra omnem dubi-  
tationis aleam sibi falso persuasum habeant:  
neve parum vel nihil interesse, hoc vel illo  
disceptetur modo, cum vulgo inertes credant:  
vel

vel unicum hoc, ne quid dicam de pluribus,  
nostra & patrum nostrorum memoria sæpi-  
us, auctoritate Impp. Regum, Principum,  
celebriumq; Rerump. de controversis Reli-  
gionis articulis, inter diversarum partium  
Patronos institutis Disputationibus, ante  
triennium Ratisbonæ, inter Jesuitas, & no-  
stræ Confessionis Theologos, habitum satis  
Colloqvium declarat: quam acerrimè de  
modo Disputandi legitimo controversum,  
& huc illuc conflictatum fuerit.

Quem cum hisce pagellis, ex optimis huj-  
jus seculi Artis disserendi profesforibus, de-  
lineare saltem, & examini publico hujus  
Academiæ subicere, pro juvandis juvenili-  
um studiorum exercitiis adhibuerit: Tuo,  
Vir præstantissime, & Compater, atq; Ami-  
ce colende, præclaro Nomini has in publico  
consecratas exstare volui: cum ut progres-  
sus non contemnendi, quem huc usq; in opti-  
marum artium studiis sub meis avspiciis pro-  
movit CASPAR Filius tuus, adolescens  
eruditione & virtute conspicuus, hæv vul-  
gare tibi facerem indicium: tum ut Amici-  
tiæ illius, quæ mihi tecum ante sexennium in  
vestra Saxonia intercescit, cujus tanta tuo in  
animo tibi fiducia constat: ut tres Filios tuos  
pietatis, virtutis, & artium, atq; facultatum  
optimarum peræqve, raro exemplo, Studi-  
osos, curæ meæ in Academia procul a Patria

(:) 3


remo-

remota jam triennium commiseris in lin-  
gvis, artibus, & Jurisprudentiæ studiis, cum  
integritate vitæ conjunctis informandos,  
apud liberos utriusq; nostros, & quosvis bo-  
nos publicum prostarēt, & perpetuum, si  
modo tanti fuerit hoc nostris & illis, docu-  
mentum.

Quod ut eo, quo transmittitur à me susci-  
pias animo, & me atq; meos porro tibi tuis-  
q;ve habeas, ut hætenus, commendatos: id  
verò maxum opere te rogatum cupio: teq;ve  
cum conjuge & liberis tutelæ Omnipoten-  
tis committo. Vale ex Museo nostro Av-  
gustiniano. Erfurti prid. Kalend. Apriles.  
Anno cl. lxxv.

*Henningus Rennemanus*  
*D. & Prof. publ.*

**STU**



STUDIOSIS PHILO-  
SOPHIAE IN ERFURTEN-  
si Academia S. P. Dico.

**D**IENNIVM, NI  
fallor, elapsum modo, Stu-  
diosi ornatisimi: quando  
sub nomine illorum, qui  
studiorum causa degunt  
hic, nullis neq; Magiste-  
rii, neq; Baculariatus titulis, quos ab hac  
impetrassent Academia, eximii, scriptum  
quoddam ἀνώρουρον est publicis Majoris  
Collegii valvis adfixum: quo Facultatis  
Philosophicae Magistros, ut ad Publica Di-  
sputationum exercitia, quae diebus Sabba-  
thi & Dominica interdum, sub Praesidio  
Magistorum, & Baculariorum, hac in  
Academia promotorum, proponi solent, &  
ipsi, vel aliis in Academiis ejusmodi titulis  
exornati, vel, qui suis usurationibus ad adi-  
piscendum illos non vellent induci, possent  
tam oppugnando, quam propugnando theses  
propositas admitti, petitione (ut ipsimet de  
(:) 4 Facul-

Facultate Magistratum senserant) honesta  
& modesta, compellarant. Cujus exi me  
tunc temporis auctorem malevoli quidam  
ad sua farina socios traduxerant: nimirum  
qui non is essem: ut, si quid adversus illos  
mihirei subeset, expressam nominis mei  
mentionem facere, & faciem meam his op-  
ponere auderem: vel ab aliis, unde  
majior ad rem tam publicam quam  
privatam meam utilitas redundare posset,  
rebus tam vacuus essem: ut illas illorum  
qualesquales Disputationes anhelarem: hoc  
tamen vel Deo teste, quo nihil sanctius &  
certius, contra calumniosas illorum suspi-  
ones adserere non dubito: quod auctorem il-  
lius & similia in eadem tunc causa publi-  
ce adfixorum programmatum, ater an al-  
bus sit, (cujus tamen ego consilium propter  
ea non improbo, nec litem alterius in me de-  
rivare cupio) neque noverim unquam, neque  
resciverim huc usquam.

Cum autem litigium hoc, me tunc in  
Academia Jenensi absente, tali fuerit even-  
tu stupefactum: ut auctoritate Magnifi-  
ca in subsidium ad ferendas contra tam ho-  
stiles,

stiles, si Dis placet, conatus, Facultati Phi-  
losophicae supplicat, implorata, ex musca ele-  
phantus fieret, & petitor ille, cujus ante  
preces dilataverant honestas, instar au-  
ctoris famosi libelli, publico diplomate, pro  
Salutis Academicae periculo extremo sic a-  
verruncando, non secus ac si Hannibal ad  
portam Collegii suis arietibus muros percus-  
surus adesset comprimendus, & Academi-  
ci status proditor ad Garamantas usque re-  
legandus esset: profecto non semel hac ab  
honestas, ut ipsimet eam nuncupabant, peti-  
tione Studiosorum repulsa mihi scrupulum  
movit: quod e salute studiosae juventutis  
publica; ad quam statuta, cum toti Acade-  
miae communia, tum etiam singularum Fa-  
cultatum propria oportebat, esse relata, fuis-  
set: in primis autem hoc tempore in tanta il-  
lorum, quos ipsi ad Disputationes suas ad-  
mittant, penuria, tantoque nobilissimi exerci-  
tium despectu: non, admitti flagitantibus &  
in studiis proficere cupientibus, obicem po-  
nere: sed oscitantibus. & hujusmodi palæstra  
pulverem fugientibus calcaria stimulosque  
totis viribus subdidisse.

(:) s

Verum

Verum quia tam sancta statutorum, ne-  
scio quorum, quae quidem praetenditur, ob-  
servantia: ut propter illa, quia fortasse sunt,  
ut aliquando Da. loquuntur veteres de  
Cann. dispositionibus, bursalia, juventutis  
studiosa salus publica sit insuper habenda:  
per me quidem licet, valeant, si quae sunt, il-  
la: & jaceat ipsorum in campis, ut quidem  
dudum jacuit, ista. Mihi longe stat alia sen-  
tentia: qui illam utilitatis, etiam publicae, in  
promotionum forsitan, ut ajunt, aucupis o-  
stensam speciem, quando quidem repugnat  
illi honestas, cum Cicerone viro prudentis-  
simo, & quidem politico, plane nullam judi-  
co: atque ita nostras in Collegio Saxonico  
μυσθίων βύεας, quas oportet esse ἀνεωυπέ-  
υας, ex veterum sermone trito proverbio,  
quod à Zenodoto refertur, aperio: & eas non  
tantum meae fidei commissis: sed quibusli-  
bet aliis, hac in Academia pietatis, & pro-  
bitatis, unaque cum his disciplinarum opti-  
marum, in quocumque facultatum genere  
studiosis, posthac apertas fore hisce litteris  
indicatum volo: quibus omnibus non mo-  
do Respondendi, sed etiam Opponendi, ut  
vulgo



vulgo hac in palestra loquimur, servato ta-  
men ordine decenti, statis singularum heb-  
domarum diebus, in nostro Collegii Saxo-  
num Auditorio aequè, atq; sunt aliorum,  
pro rigore privilegiorum nostrorum, publi-  
co, sub meo presidio potestatem concedo: non  
ad horula unius, aut ad summum alterius,  
angustias constrictam: sed eo usq; donec o-  
mnibus exercere se volentib. satisfactum  
fuerit extensam: non in parculis quibus-  
dam questiunculis, questione sapissime  
non indigentibus, consumendam: sed in-  
tegris rerum Philosophicarum capitibus  
Methodicè digestis impendendam.

Quam ingenii sui exercendi occasio-  
nem hic oblatam, si serio tum temporis caus-  
sam egerunt suam, qui se querebantur a  
palestra Disputationum Philosophicarum  
exclusos, si non neglexerint: spero fore, ne  
opera pœniteat eos nobis adcommodata:  
sin adspernari cum aliis quibusdam politio-  
ri litteraturæ, & inquisitione veritatis, cum  
præjudicio auctoritatis humane remoto in-  
festis eandem lubitum fuerit: nihil me a re-  
ferre debebit: qui tot auditores & discipu-  
los

los disputationi operam dantes, quot desiderare possem, habeo: neminem capto: nulli me obtrusum cupio: soli Academiae bono publico, & diminuta nimium incremento, studiosa juventutis commodo gratis hic inservio: & ut nullam mercedem a quoquam pro labore tanto reposco: sic vicissim, quod contra naturam ejusmodi negotii foret, pro labore Objectionis, quae cujusque objicientis privatam, non meam utilitatem respicit, premium nummatum, ne sint ejus ignari palestra, si sint aliter adsveti forsitan, non distribuo.

Verum enim vero quia oculis, & animis bonorum est expositum: quam ad depravatam hujus Academici progymnasmatum, quo nullum inter omnia nobilium, utilium, & praestantius est, usus abusus, ipsis benedisputandi principiis non modo labefactatis, sed subversis penitus, desciverit: ut passim vulgi, & aliorum, ex aliis huc adventantium Academiis, ludibrio id expositum conquerantur, neque sine ratione, plurimi: ne nos ad lapidem offensionis impingamus eundem: antequam ad alia procedamus,  
primo

primo omnium de fundamento huic operoso  
operi fideliter jaciendo solliciti, de legitima  
recte Disputandi ratione circumspicie-  
mus: & eam loco praeambuli, vel prooemii,  
quod & lubentius nos ad amorem nobilissi-  
mae hujus palaestrae primo producat: &  
cum eo venerimus evidentiores praes-  
tet intellectum, ut Cajji Jureconsulti ver-  
bis in fine l. i. D. de orig. juris, utar, in hoc  
commentario, ex L. Vivis, Augustini  
Hunaei, Rodolphi Goclenii, & aliorum in  
arte disserendi exercitatisimorum aucto-  
rum praeceptionibus excerpto, breviter com-  
prehensam, & per theses distinctam, pro  
primo futurae Disputationis auspicio inve-  
stigatam examinare: & ad sincera Ratio-  
nis trutinam perpendere conabimur. Quo  
facto, si de ea tum, quam legitimam praes-  
tantissimi quique Disputatores predicant,  
hic ad vivum expressa, Ratione bene  
Disputandi convenerit inter nos: & ut  
par est, quilibet palaestrae futurus, earum  
legum, quae promulgantur hic, observan-  
tia se fideliter obstrinxerit: via nobis est ex-  
pedita in progressu tunc futura: si, quando  
quispi-

quispiam errore forsitan aut calore abre-  
ptus, extra orbitam cucurrerit, admonitus  
ab adversario vel Praeside, in viam se re-  
vocari non iniquum duxerit: ducere au-  
tem profecto per vim obligationis si legum  
observantia teneri voluerit, ne utiquam  
debebit: in Sophista, cavillator, vel rixa-  
tor odiosus potius, quam Disputator Logi-  
cus haberi, & sic a palaestrarum consortio  
removeri malit. Faxit Clementissim. Deus  
Veritatis auctor, & conservator: ut ruptis  
& spretis malevolorum invidorum, cavil-  
latorum, & imperitorum hominum repa-  
gulis, Sancti Spiritus auxilio ducti & adju-  
ti, in Veritatis si non adyta, quod humani-  
tus fieri nequit, saltē prima vestibula, per-  
venire & possimus, & velimus. Dat. Er-  
furti ex Museo Augustiniano: prid. Kal.  
Apriles. Anno CIO. MDCV.


Henningus Renneman-  
nus Ph. & J. U. D. Col-  
legii Saxon. Decanus.



Handwritten text on the top edge of the book block, likely a title or chapter heading, appearing to be in a Gothic script.

Fragment of text from the adjacent page, showing the right edge of the page with some legible characters in a Gothic script.





# THESES

I.

**N**atura cuiquam discipli-  
næ capax sit, cui præbeat  
*Ars*, quæ dux, quam na-  
tura, certior, a adminicu-  
lum: tum demum, si *Usus* b succedat:  
is est, qui scientiam & eruditionem per  
artem naturæ superstructam cum suf-  
fulciat: tum fastigium inponat.

a) Aristoteles sub initio 1. Rhet. & 2. Phys.  
Cic. 4. de Finib. Licet enim sine doctrina quid be-  
ne dicatur, adjuvante natura: tamen id, quia  
fortuito fit, semper paratum esse non potest. Id. 1.  
clar. Orat. Ita tamen ut *Ars* nihil possit invita  
Minerva: unde Horat. art. poet.

Natura fieret laudabile carmen: an arte,  
Quæsitū est: ego nec studiū sine divite vena:  
Nec rude quid possit video ingenium: alte-  
rius sic

Altera poscit opem res, & conjurat amice.

De qua re videatur in utramq; partem disserens  
Piccolom: grad. 5. c. 58. cum duob. seqq. b)

Que tres sunt illæ cause facultatum quarumvis  
A vulgo

vulgo celebratæ: quarum prima principalis: reli-  
quæ duæ adjuvantes: sed essentialiter, ut Logici  
loquuntur, ordinatæ omnes: ut si vel una desit:  
εὐπείθεια, quæ finis est artis cuiusq;, præstari  
nequeat: Quas Ovid. 1. de art. aman. eleganter  
hoc disticho congesit:

Scilicet ingenium placida mollitur ab Arte  
Et studio mores convenienter eunt.

Nec minus scite Horat: lib. 4. carm. od. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:

Doctrina sed vim promovet insitam:

Rectiq; cultus pectora roborant.

Brevissimè verò Manilius:

Omnia conando docilis solertiâ vincit.

II.

Quamvis n. quæ bona sunt, fieri  
meliora possint doctrina: & quæ non  
optima, aliquo modo tamen acui pos-  
sint, atq; corrigi: a sine tamen exerci-  
tatione & usu: quicquam magna laude  
dignum nemo consequitur: b qui si fre-  
quens sit: omnium Magistrorum præ-  
cepta superat. c

a) Cic. 1. Orat. b) Id. 1. off. c) Id. 1. Orat.  
qui Magister est optimus, & effector præstantissi-  
mus, ibid. & pro Rab. Post: per cuius exercitium  
artifex suscipit incrementum: l. legatis. §. orna-  
tricibus, D. leg. 3. Unde Ovid. 2. art. amandi.

Solus



Solus & artifices qui facit usus erit.

Ex Manil. Astron.

Per varios casus artem experientia fecit.

III.

Cujus etsi species est in studiis nostris ordinis literarii, sive *Genesis*, sive *analysis* spectes, non una: splendidior tamen, & prae variarum utilitatum mole gravior est nulla: quam *Disputationis legitima palæstra*: in qua una concurrunt omnia ingeniorum, tam *Sermonis*, & *Rationis*: quam *scientia Rerum* optimarum in omnes partes exercitia, amicissime conjuncta, & ad summum, quo usque mentis penetrare potest acies, a everta: sine qua, dicam avdacter, institutio juvenilis ætatis in optimarum artium studiis est languida, claudicans, imperfecta: b immo salutaris & veræ *Disciplina* vix umbra.

a) Quando n. mens altius conscendit: quando subtilius acutius & penitus rerum veritatem per omnes angulos inquirat: quam cum suæ sententiæ oppugnatores prospicit? cum fluctuare se, & vacillare sine dedecore non posse prænovit? cum adversarius loco cedere ipsam cogit: ipsa contra,

ne cedere cogatur, omnes nervos intendit? Gocleni  
derat. disp. b) Ut non incommode, dicatur haec  
alterum illud εἰδὼν γένεσθαι, καὶ ἀνδράσι πολ-  
λὸν ἀμείνω: quod etiam ἀπάλαμνόν περ,  
ὁμῶς, Πιῖ ἔργον ἐγέρη: ut antiquissimus Poëta  
Hesiod. lib. 1. fuit fabulatus. Quae dubio procul  
Porphyriana fabula elegans est mythologia: quan-  
do Cupidinem Veneris e Marte filium primis in-  
fanciae annis parum crevisse refert: donec usa The-  
midis consilio Venus alium peperisset Anterota:  
qui cum feliciter adolesceret, in hujus aemulatio-  
nem Cupido quoque venustissime excrevit, & laten-  
tem corporis animique indolem exseruit. Si per Cu-  
pidinem accipiamus indolem ingenii, & cupi-  
ditatem scientiae nobis innatam: per Anterota ve-  
ro Disputationis exercitium: cujus usu illa ef-  
floreſcat, & exacuatur: quomodo commodius in-  
terpretari fabulam potueris.

IV.

Nam si veritatis indagine & inven-  
tione progressus in studiis Literarum  
est major nullus: sine hoc exercitio  
Studiorum cursus multimode interclu-  
sus fuerit: quod praecipuum, est in-  
strumentum huic uni rei comparatum:  
quo, sicut lapidis & ferri collisione  
ignis elicitur: sic veritas, per opinio-  
num inter se contraxiarum pugnam  
anqui-

anqvifita diu, a tandem reperitur. b Id  
quod Herennii Modestini e Rom. ju-  
ris conditorib. inter primos exemplo  
cognitum: quando, ut bene & optima  
ratione Legum sensus decernere posset le-  
gitimos, id notando Disputandoq. se con-  
secutum, c ingenue est profesus.

a) Quamvis enim veritas quandoq. sed raro  
admodum sit ita conspicua: ut eam obscurare nulla  
res possit: interdum tamen veritati vis, ut erua-  
tur, est adhibenda: inquit C. pro Cluent. Quippe  
quae ut plurimum in altissimo puteo, quod ajjebat  
Democritus, submersa latet. b) Quae J. Caf.  
Scaligeri exercitat. 308. de subtil. est sententia si-  
ne dubio verissima: quae Joan. Lud. Vivem virum  
alioquin in hoc genere studiorum solertissimum di-  
sputationibus non perinde verum cerni & ex-  
cudi posse, quam tacitis meditationibus, de  
Disput. lib. 20. & lib. 4. de trad. disp. adseren-  
tem, incusat hant injuria. c) referente Arcadio  
Charesio lib. sing. l. munerum. 18. §. mixta 26.  
D. de mun. & hon.

v.

Verum quod in aliis usu venit rebus:  
ut quores est ex usu suo praestabilior:  
eo fiat ex abusu deterior: id hic etiam  
experimur indices: ut progymnasma

A 3

nobil-

nobilissimum, si, quæ debebat, legiti-  
ma ratione, non sit institutum, in in-  
finitas, & contentionum plenas, ad eorū  
muliebres devertat altercationes, in  
sophisticas nugas, scurrilia scommata,  
& deliramenta gerris Siculis vaniora.  
Quod ne malum nobis idem huic ex-  
ercitio daturis operam contingat: in  
nostra, quæ *Disputationis legitima* for-  
ma sit observanda postmodum, pa-  
læstra præambuli loco breviter ut e-  
disseramus, operæ precium ducimus:

VI.

Est igitur, ut a capite quod volu-  
mus arcesamus, *Disputatio* a actus lite-  
rarius, quo quæstio dubia, & non in-  
utilis, ab altero adferente, altero vero  
illi contradicente, sic rite disertatur:  
ut ex contradictionis per argumenta  
contraria inter se comparata mutua  
collisione tandem veritas investigetur.  
Quæ eodem sensu alias *disceptatio*,  
*disquisitio*, *disertatio* &c. paullo vero  
generalius: *colloquium*, *collatio* &c. &  
hinc Græcis *Διάλεξις*, *ἡ συζήτης* appel-  
lari solet.

a) cuj-

a) cuius Etymologia ex loco similium satis  
aperta. Sicut enim proprie disputare est vinitaris,  
quando sub initium verni temporis vites per hie-  
mem metu frigoris sub terra occultas, ad solis radi-  
os reproducit, veteribus & ex succis sarmenti hinc  
inde, ne novis & succi plenis palmitibus sint obsta-  
culo, diligenter amputatis: sic Veritatis est De-  
fensoris in contrariarum opinionum & rationum  
diversarum de questione dubia conflictu, falsas a  
veris, & contingentes a necessariis removere: ut  
falsis & contingentibus abscitis, illas solas, ex qui-  
bus sincera & clara veritas necessario protuberat,  
diligenter sartas tectasq; tueri queat. Chytr. de rat.  
discend. c. 7. Cum enim Veritas in plurimis reb. al-  
tissimis sit tenebris obruta, & inextricabilibus pœne  
involucris impedita: ad hæc evolvenda ingenium  
humanum examinande veritatis facultatem a  
DEO accepit: cuius functio Disputatio nomina-  
tur. Ut enim vites, nuces, ferrum, aurum putan-  
tur rejectis inutilibus: sic in examine illo remotis  
falsis, ambiguis, ac incertis, quæ dubio procul ve-  
ra sunt, ad ea pervenitur: L. Viv. d. lib. 20 in princ.  
b) Quia versatur ἐν τῷ θεῷ καὶ κατὰ τὸν θεὸν  
λόγῳ, ut Plato loquitur 7. de Rep.

VII.

Generis loco ponimus actum, a &  
hunc quidem literarium: b ut definitio  
ex illo lata sat adpareat: quo omnem

A 4

dispu-

disputandi rationem, sive exercendi ingenii causa, progymnasmatibus instar, intra scholasticos parietes susceptam: sive serio in rebus arduis, pro concione tractandam includat: ex hoc intra limites suos consistat: quo quasvis congerorum confabulationes, altercationes aniles, & idiolarum contentiones excludat, sine ratione modoque certo forsitan excitatas. Quæ res prima Legi de recta Disputandi ratione locum exposulat: *Palastram hanc ingresurus literariam, certaminis tentandi causa, literatus esto.*

a) quod commune nomen est: ut non tantum ad progymnasmatibus Scholasticis, quæ exercendorum tyronum causa, quo præparentur ad contentiones publicas, eo fortius & agilius exantlandas, instituuntur: sed etiam ad forenses in Ecclesia & Curia, pro concione publica, de rebus arduis & maximi momenti causis disceptandis, contentiones pertineant. b) ab his solis, qui sunt literati, h. e. literarum & sapientie studiis exculti, tractandum: ut & modum disputandi certum norint: & in rerum de quibus disseritur accuratam methodicamque notitiam pervenerint.

IIX.

Reli-

Reliqua differentiae specificae vicem funguntur, e topico causarum decerpta: inter quas eminet *finalis*, & haec *summa a* quidem: ut hic opinionum, de quaestione proposita, per rationes hinc inde commotas, contrariarum conflictus eo dirigatur: ut inde *veritas* partis alterutrius exquisitius indagata, & evidentius adgnita, contraria falsitate detecta defenletur.

*a*) sunt enim aliae plures: sed subordinate, & adventiciae pleraque: in exercitatione ingeniorum inter tirones potissimum spectatae: qui ex hoc progymnasmate saepius iterato ex tempore de materia quavis, cum pure, & ornate sermocinandi: tum prudenter & sollerter in utramque partem ratiocinandi facultates sibi comparent: quarum illam ἐργασίαν ἡ δύνάμειν δύνανται: istam οὐνεστιν celebrata Thucydidi illa nuncupat sententia. Quae duo sunt illa sola, quibus homines docti ab indoctis differunt, ornamenta: quibus in hac vita homini nihil potest vel honestius, vel utilius obvenisse. De quib. Chytr. de rat. discendi. cap. 1. & 7.

IX.

Ad quem si in hac Palæstra scopum, tam supremum, quam ultimum antagonista ab utraque sedulo parte colli-

A 5

ment:

ment: illa demum *Disputatio* est Logi-  
ca, honesta, pia. *a* Sin ab hoc vel aber-  
rent: vel sponte se convertant ad quem-  
vis alium, suo iudicio summum: *b* sed  
ab illo diversum: illa *Sophistica*, tur-  
pis & impia ducenda. *c* Lex igitur hinc  
emergat nobis *secunda*: *Disputationis* le-  
gitimæ summæ ad sinceræ veritatis indagi-  
nem & indagatæ defensionem esto directæ.

*a*) Veritatem enim requirit dominus: psal.  
30. v. 10. quam ut ipse diligit, ps. 50. v. 8. ita ut  
nobis eam diligamus precipit: Zach. 8. v. 16. 19.  
Ephes. 4. v. 25. Matth. 5. 37. Cuius inquisitio-  
nem hominis esse propriam C. 1. off. disserit: ma-  
xime studiosi literarum: ὃν δὲ πάσης ἀληθεί-  
ας εὐθύς ἐκ νέου, ὅτι μάλιστα, ὀρέγεσθαι, h. e.  
ut veritatem a pueritia maximopere adfectet, du-  
cem illi qui honestus velit esse futuram: per quem  
ad immortalitatem pervenire possit: quæ causa  
bonorum est omnium: ἧς ὁ γεννήσεσθαι μέλλων  
μακάρως τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἄρχῆς εὐθύς  
μέτοχος εἶη: h. e. cuius particeps esse studebit,  
qui vitam feliciter transigere, & beatus esse cu-  
pit: quæ pia Platonis est 6. de Rep. & 5. de leg.  
sententia. Cum qua convenit D. Augustinus: qui  
veritatem artibus omnibus supremam Legem præ-  
posuit. Ex quo Pythagoras & post eum Demosthe-  
nes



nes rogati, quid Deo simile haberent homines:  
benigne facere, & veritatem amare, verissi-  
me responderunt. b) ut vel veritatem fraudulen-  
ter oppugnare laborent: vel de ingenii gloria, &  
corona potius adipiscenda, quam veritate adseren-  
da cogitent: vel ex defensione paradoxorum prom-  
tas sui ingenii vires auditoribus ostentent: quippe  
qui non tam, quomodo verum disputando elici-  
ant: quam quomodo facundia loquendi adversari-  
um, in eo quod verum erat obscurando, confun-  
dant, & popularem vane victoriae plausum sibi  
querant, id obnixè enituntur & contendunt. Cuj-  
usmodi Disputationes inter causas artium cor-  
ruptarum L. Vives marito recenset: easq; invec-  
tis passim acerbissimis persequitur, procul ex scho-  
lis exterminandas: utpote & morum animi &  
studiorum pestiferas corruptelas: lib. 1. & 6. de  
caus. cor. art. lib. 2. 4. n. 5. de trad. discipl. c)  
Nec enim nostrae disputationes quidquam a-  
gunt: nisi ut in utramq; partem dicendo & au-  
diendo eliciant, & tanquam exprimant ali-  
quid: quod aut sit verum: aut ad id quam  
proxime accedat: Cic. in Luc. dicente. Ideo  
enim a nostris disputatur contra omnia: quod  
hoc ipsum probabile elucere non possit: nisi  
ex utraq; parte causarum facta contentio fu-  
erit, eodem 2. off. teste: ὡσπερ γὰρ χρυσὸν ἐκ-  
καθαίρουσιν μετὰ πολλῆς πρᾶγματείας, τὰ  
λεγόμενα

λεγόμενα καὶ ἀκέρμενα : quia tanquam au-  
rum maxima cum diligentia oportet expurgare  
quæ legimus & audimus : quo veritatem inquiramus :  
Platonis iussu in Epist.

x.

Scopo discreto, quo pertingere pos-  
simus ad illum : causæ *Efficientes* quæ  
tendunt eò despiciendæ : quæ ex defi-  
nitione colliguntur duæ necessario  
conjunctæ : *a* nimirum altera *adferens* :  
*contradicens* altera. Quarum illam *De-*  
*sendens* vel *Respondens*, ut vulgo : alte-  
ram vero *Opponens* vel *Oppugnans* in se  
recipit. Ille qui cuiusdam quæstionis  
adsertionem *b* adversus contradicenti-  
um rationes argumentis quantum da-  
tur firmis propugnandam, in me-  
dium producit : iste qui se ad productæ  
quæstionis adsertionem, evidentibus,  
quantum potest contradicendo ratio-  
nibus, *c* oppugnandam accingit.

*a*) quæ Philippo in *Logicis lib. 4.* dicuntur  
causæ essentialiter sic ordinatæ, ut impossi-  
bile sit alteram sine altera agere. *b*) sive sit adfir-  
mata: sive negata : quæ nimirum adseritur aliquid  
esse, vel non esse. *c*) non enim in stentoreo quo-  
dam

*dam Esernii cum Pacidiano, quod habet proverbium, clamore, quo adfirmatio illius, & negatio hujus ad ravim usq; verbis intonetur nudis, contradictio consistit ista: sed in rationum & argumentorum se mutuo oppugnantium robore: quo alterum alteri prevaleat, comparatum. Unde L. Vives, Disputationem, argumentorum ad aliquid probandum aut improbandum comparationem nuncupat. d. lib. 20. in pr.*

XI.

Ad quos interdum a tertius accedit, *Præses* scilicet: qui disputantium conflictii moderator & adjutor præsidet: cum ut instar Arbitri quandoq; exorbitantes in viam revocet: vel ardore nimio succensam controvertentium pugnam dirimat: tum etiam ut utriq; nimirum OppONENTI, maximum Respondenti suppetias, si factum sit opus, ferat: illum ut recte suos objectionum modos conglutinet, erudiendo: hunc illius quandoq; vinculis compeditum liberando.

a) *Nec n. semper hoc fieri solet: nec, cur fiat, magna ratio svadet: præterquam quod consuetudine receptum sit hoc in plerisq; locis: & si in pro-*  
*Gymnasmatum tironum Disputatio incidat, perso-*  
*na*

ne disputantium inprimis vero Respondentis conditio inbecillis praesidium requirat. Goclen. de disp.

XII.

Disputaturi veritatis investigandae causa cum Palæstram anhelant: *Materiam*, vel potius *subjectum occupans*, anquirere sedulo laborant: nimirum *Questionem* aliquam: quæ est propositio de re quæpiam, adfirmando aliquid, vel negando, in controversiam prolata: & si sit acroamatica, & longior per definitiones, atque divisiones accuratissime & methodicè concepta: vulgo *thema*, *problema*, *aphorismus*, *positio* &c. dicta. In qua disputanda, quæ a Defendente proponitur *thesis*: quæ vero ab opponente contraponitur, *antithesis* nuncupatur. Cujus duæ sunt ex definitione proprietates adnotandæ.

XIII.

*Prior*, ut *Thesis*, h. e. assertio Defendentis, sit *dubia*: quæ nec manifesto, & per omnia sit vera: nec etiam apertissime & per omnia falsa: quod alioquin illo casu Disputatio sit frigida, tædiola,

diola, & inutilis: hoc vero futilis, ab-  
surda, & improba futura. a Unde Lex  
prodibit tertia: *THESIS ad Disputati-*  
*onum proposita summarim esto dubia: ut*  
*neq; necessaria: neq; impossibilis sit visa. b*

a) sine nimirum nullo constituta. Quorsum  
enim disputatio: si thesios disputanda veritas, vel  
falsitas per se jam innotueri: omnibus manifesta?  
Disputatio veritatis inquirenda gratia suscipitur:  
ut certo norimus: utrum *Questio sit vera vel falsa.*  
Si cui cognitum sit, & exploratum alterutrum:  
questione tunc non opus est ulla: disputatio super-  
vacua: immo prorsus nulla, materia disputabili,  
quae subjectum illius est occupans sublata. Ridere  
solemus, & effuse quidem homines, id, quod ma-  
nibus comprehensum, aut in conspectu positum ha-  
bent, anxie quærentes: quidni tales etiam Dispu-  
tatores nodum in scyrpo & in lente unguentū scru-  
tantes? Si ludas: tempus perdis, jacturam rei  
preciosae facis. Si seriam rem tractes: veritati vim  
infers: Sophisticas nugas agis. Qui fieri potest quæ-  
so: ut materia disputetur, disputabilis nusquam  
visa. Nam ubi pro alterutra parte nullum est ar-  
gumentum: nec disputatio potest ulla existere:  
Vive censente, d. lo. Quippe sicut disputare ne quis  
vinitor & amputare vites, quibus nulli sunt exsuc-  
ci palmites: ubi sarmenta non adparent emortua:  
ut si putet nihilominus: ad vivum reseret surculum  
succo

*succi plenum: & totam saepe vitem violenta sedtio-  
ne internecet: sic etiam pressus si in propositio-  
nem, aut valde veram, aut aperte falsam agas:  
absq; Sophisticis neniis nihil proficies: quibus ve-  
ritatem obfuscabis, & bene, alioquin oculato  
glaucoma objicies. Quae res ut est perniciosa sanis  
mentibus & auribus: ita pariter, sed absq; fructu  
difficillima, tediiosa & molesta: cum nusquam mi-  
nus occurrat, quid dicas: quam ubi id ipsum,  
quod disputandum suscipis, omni luce cla-  
rius est, omni contradictione notius. ut scite  
Ph. Mornaeus c. 1. rellig. Chr. differit. b) Facies-  
sant igitur ejusmodi vulgo in disputantium ca-  
thedras non disputabilia themata protracta: quae  
vel defendere, si vera, sit supervacuum: sin falsa  
absurdum & ridiculum: vel oppugnare vera im-  
probum: falsa vero, tediiosum. Qualia sunt ex-  
empli causa: Magistratui est parendum: Resp.  
bene gubernatur legibus: ebrietas fugienda: vir-  
tus colenda: Dialectica est utilis: Mala consortia  
sunt vitanda &c. Quae quando videmus in medium  
producta, quod sit saepius: quoniam alio sit hoc con-  
silio, & a quibus aliis, quam ab imperitis, & ar-  
tis disputatoriae penitus ignaris? qui cum in telis  
oppugnantium viriliter excipiendis suis viribus  
diffidunt: hoc usi strategemate, astuto quidem il-  
lo, sed admodum insulso, & vel inscitiae, vel se-  
cordiae indice turpissimo, se putant illos e pugna  
nevtiquam pugnace sic evasuros: si materiam huj-  
juscmodi*

Jusmodi in Disputationem proferant: quæ disputabilis esse non queat. Scitum est hic Eudamida Laconis apophtegma: qui Xenocratem jam senem cum amicis in Academia disserentem cum audisset, & percunctato quis esset, respondisset aliquis: illum esse virum sapientem, & ex eorum numero qui virtutem quærerent: ecquando, inquit, ea usus est, si adhuc quærit. Nimirum putabat de virtute per omnem vitam disputare esse nimis ineptum: cujus à prima statim adolescentia, scientiam oporteret ex insitis a natura noticiis perspetam esse.

XIV.

Posterior ut ejus veritas & utilis cognitu, & inventu possibilis adpareat: cum de inutilibus quarum cognitio vel nullam vitæ sive publicæ, sive privatæ conferat utilitatem: vel inferat ei perniciem, disputare ex illa parte sit supervacuum, ex ista vero prorsus improbum: a de perplexis autem, penitus abstrusis & a captu nostro remotis sit lapsus facilis in irremeabilem labyrinthum: ut ea propter merito Legis quartæ sit hoc scitum: Disputationi sobria materia subjecta, præ omnibus, cognitu sit utilis vitæ hominis b: & explanatu possibilis & animadversa. B a) Ut

a) Ut si theses proponantur huiusmodi: quod  
Deus sit auctor peccati: quia mulieres non sint  
homines: quod eadem debeant esse omnibus  
communes: quod liceat simul habere plures &c.  
b) Lex sanctissima in omni studiorum & faculta-  
tum ordine servanda: Ars est longa: vita hominis  
autem brevis: ut hanc ob causam pretermittis  
ociosis & inutilibus, cursu quanto fieri potest, in-  
citatisimo sit ad necessaria duntaxat, & honeste  
utilia properandum: quibus cognitis Deo possis in-  
servire & proximo tuo; religionem sanctam tue-  
ri: Remp. custodire salvam: priuatam vero tibi  
tuamque sartam atque tectam. Quo quicquid non colli-  
mat, utcumque magno cum apparatu splendidum,  
& ab summis exercitatum sit ingenii: non est  
tamen aliud, quam vanitas illa vanitatum: de  
qua S. Scriptura loquitur, quod Scientia non ad  
delectationem hominum, sed Dei laudem prae-  
dicanda: 22. q. 2. c. 1. Quorsum n. tales argutiae,  
& desiderie delectabilis aculei: in quorum scrupu-  
lis nullum ad rationem vitae pertinens est emolu-  
mentum, ut Agellius inquit? Alexander ille Ma-  
cedonum rex militem, qui ex distante spacio gra-  
na Ciceris projecta, acui sine frustratione mox in-  
sertare, magna cum spectatorum admiratione po-  
tuerat, ejusdem leguminis modio donarat: ut ha-  
beret, quo tempus in negotio perderet futilissimo:  
quodnam his in illis subtilitatum gyris atque Mean-  
driis tanquam ad Syrenios scopulos consenescenti-  
bus.



bus opere precium aliud, quam inutilium quæsti-  
uncularum, & spinosarum nugarum acervus im-  
pense magnus, cui per alterationes insudantes  
immoriantur tandem fuerit adsignandum? Ride-  
tur Ulysses apud Homerum a proci: quod panis  
frustula peteret: non enses, neque lebetes; ridendū  
multo magis Disputatores illi vanissimi, quæ  
ῥοσφωδίας λεπτολογημάτων coacervantes, mi-  
nutulas & frivolas in palastra quæstiunculas obji-  
ciunt: & qui Appionem secuti, Homerum ab infe-  
ris revocatum, de parentibus suis potius, quæstione  
prorsus inutili; quam de sapientissimis virtutum  
rebus gestis, atque sententiis illustribus, interro-  
gant. Quippe nec veterum rimandas omnes Opi-  
niones placitasque censeo. Nam quorsum attinet sci-  
re: qui nivem atram esse contenderent: ignem fri-  
gidum? Scire quidem interdum fortasse nihil ob-  
eset: occupari autem, dum id vel propugnes, vel  
labefactes: id vero est nimis liberaliter abuti tem-  
pore; L. Vive lib. 4. de disc. trad. indicante. Cum  
Aristippo igitur, teste Laërtio, ad quæstionem hanc,  
quænam adolescentibus studiosis sint disputanda?  
respondeamus: Quæ viris sint usui futura. Quip-  
pe ut nostri seculi non infelix poëta Joan. Stigelius  
suavisime cecinit:

Nō qui multa tenet: sed qui scit idonea vitæ:  
Hic dici sapiens, quo mereatur, habet.

Quotusquisque igitur tam patiens erit: ut velit di-  
scere,

scere, quæ in usu non sit habiturus? Plinius certe  
lib. 8. epist. neminem offendit, ut ut vehementer  
exclamaret. Multo melius est enim gravissima hæc  
Isocratis sententia, πλεῖ τῶν χρησίμων Ἰπικει-  
κῶς δοξάζειν, ἢ πλεῖ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς  
Ἰπιστάσθαι: καὶ μικρὸν περιέχειν ἐν τοῖς μεγάλ-  
οις: ἢ πολὺ ἀπεφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς, καὶ  
τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελεῖσι: h. e. de re-  
bus utilibus mediocrem doctrinam percepisse,  
quam de inutilibus scientiam accuratam: & sati-  
us saltem parvulum antecellere in cognitione re-  
rum magnarum, quam multum aliis prestare in  
parvis & nullam in vita utilitatem adferentibus.  
c) In penitus enim abstrusa re & omnimodo per-  
plexâ disserendi labor est irritus, & deformis, ut  
cum Fabio loquar orat. inst. lib. 12. pertinacia: cui  
fenestra ad veritatem prospiciens præclusa: cujus  
eventus est altercatio Sophistica, nullo veritatis  
principio suffulta. Ubi valet vulgatum illud: quæ  
supra nos, nihil ad nos. Quemadmodum enim qui  
diu rem eandem ad fixo contuetur vultu, tandem  
allucinatur visu: sic etiam in perplexis & inextric-  
cabilibus rebus ingenii acies obtunditur: ut melius  
sit contemplationes ejusmodi remittere: quam  
perpetuo rei eidem intensas habere. De quibus di-  
sputatoribus, de rebus, quæ querendo investigari  
nequeunt, contentiose conferentibus illud Gorgias  
Sophistæ dictærium est elegans: quòd ex his alter  
bircum

hircum mulgeat: alter cribrum supponat. Quod tamen de re non ad inquirendum difficili, sed re-  
per-  
tu penitus impossibili capiendum: cum alias non in-  
merito laudemus Comicum illud: quod nihil tam  
difficile sit, quin quærendo investigari pos-  
sit. Quippe tanto major ingenii inter disputan-  
dum quæstionem exercitatio: quanto difficilius in  
ea veri inquisitio est futura.

XV.

Materia sic ad disputandum idonea  
prolata: superest hoc unicum, ut legi-  
tima de super rite disputandi accedat for-  
ma: quæ in officio disputantium utrinque  
consistit: quod vel utriusque commune:  
vel alterutri proprium erit. a Commune  
vel ex Ethicis: vel Logicis depromptum.

a) Goclen. de disput.

XVI.

Ethicum disputaturi officium est  
veracitas: & modestia. Illa φιλαλήθεια  
requirit studium veritatis indaganda,  
cum odio Sophisticæ, ardentissimum  
a: in animo nullis in partem alterutram  
præjudiciis b oblesso: sed ad utramvis  
partem, quæ verisimilior disputando

B 3

pare-

parebit, candide & sincere & aperto: qui tandem vero, vel quod verisimile fuerit anquisito, si, quod sit melius, non habeat, d. conquiescat. Ut hic quinta Legi sedes tribuenda: *Disputationis palaestram ingressurus amore veri inquirendi, sine ullo praedjudicio, incitatus, candoris oleo, ne praeter veri indaginem & exercitium ingenii spectet aliud, persusus, & eo, quod verum, vel verisimile repertum fuerit, ut refellere nequeat contentus esto.*

a) quo, quaecumque disputando exercemus, ea magna diligentia & labore per κριτήρια certitudinis ad normam veri certissimam & Polycrateam dirigimus. Cui premium a Deo constituitur: ut labium veritatis firmum & perpetuum sit: contra: mendacia labia sint abominatio coram Domino: prov. 10. καὶ τῶν ἀχαλίτων σοφιάτων τὸ τέλος & δυστυχία: ut effrenis oris finis tandem calamitas sit futura: Euripide dicente. b) haec quippe sunt quae veritatis prospectui & lumini vehementer officiant: ut alieno praedjudicio occupati suum iudicium adhibere non possint: sed id ratum duntaxat cogantur habere: quod ab alio, ad cuius unius auctoritatem se contulerint, probatum vident: ut Cicero loquitur: *Quemadmodum enim vini vari potentiam gustu recte*

recte discreturum mane impransum, & sobrium  
esse vulgus cupit: ne palatum priori succo infectum  
vini saporem ex eo dijudicet: sic etiam quæstionis  
dubie in plures opiniones distractæ judicem ab om-  
ni præjudicio vacuum esse dicet: ne aliorum ju-  
dicio ex suo sensu præconceptorem disceptet. c)  
ne vel Sophisticis cavillationibus adversari dicta,  
contra quam simplex & genuinus flagitat verbo-  
rum & mentis ipsius sensus, implicentur: vel stu-  
dio veritatis obscuranda quidpiam, quorumq; de-  
mum modo dissimulanter, & alio, quam ad in-  
quisitionem veri, tractatu dirigatur: ut  $\delta\omicron\zeta\omicron\omicron-$   
 $\Phi\acute{\iota}\alpha$  &  $\delta\omicron\zeta\omicron\mu\omicron\nu\acute{\iota}\alpha$ , item  $\Phi\iota\lambda\omicron\nu\epsilon\mu\acute{\iota}\omicron\varsigma$ , h. e. sa-  
pientie ostentatio, insanus amor gloriæ, ingenii  
splendidioris: cum contentionis rixosæ, quæ ex ad-  
verse partis confusione, & victoria per nefas par-  
ta laudem captet, studio, disputationis a limine  
exterminari debeat. d) Hic enim si garriendi fi-  
nem non faciat, & veritati locum cedere nolit, in  
 $\alpha\pi\epsilon\rho\alpha\nu\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\acute{\iota}\omicron\nu$  incidit, vicium stupidis & in-  
peritis familiare: qui rationum viribus ab adver-  
sa parte convicti, victos se nunquam fateri volunt.

XVII.

Ista vero requirit animum in dispu-  
tante, adfectibus quidem adversus an-  
tagonistam, & ad seclas, adeoq; caus-  
sam controversam a, sed moderatis b,

B 4

usum:

usum: qui livoris, odii, & iracundiae  
telis, in hoc solum, quo rationes adver-  
sarii, quas putat invalidas, validiori-  
bus refutet argumentis, intentus, ab-  
jectis, sine sui perturbatione, & sine  
ullis irrisionibus, ironiis, conviciis, vel  
dicteriis, in personae vel causae adver-  
sae ignominiam e projectis, quod ad  
rem facit, cum honoris & titulorum  
cuius pro sua conditione personae debi-  
torem praefatione, amico, d placido,  
gravi, comi & sedato, non acerbo, non  
scurrili, non clamoribus Stentoreis,  
non supercilioso genere sermonis, e-  
diserat. Unde Lex sexta e talis emer-  
git: *Disputator inter disserendum mode-  
stus esto: adfectuum ira, odii, invidia &c.  
impotentia ne laborato: nec in conviciorum  
scurrilem campum descendito: sed, quae  
dicenda sunt, placido, sereno, & amicabi-  
li colloquio proferto f.*

a) *Adfectibus n. carere Disputator non debet:  
sine quibus languidum & frigidum disputatio e-  
ventu, magno cum fastidio auditorum conjunctum,  
sortitur. Quemadmodum enim gemmis facilius  
in sculpes, quae voles, si terebra ferveat: sic etiam  
magis*

magis movebit Disputator, si non solum acriter di-  
cat: sed ferreat etiam & amet id, quod laudat &  
oderit, quod vituperat. b) Judicium enim inte-  
grum est servandum: minimè perturbatum tem-  
pestate aliqua adfectionum: quæ incitate & accen-  
se velut fumum quendam rationi & facultati ju-  
dicandi offundunt: quo veri perspicientia impedi-  
tur. Utilissimum igitur est, ne altercando quis  
animo commoveatur, inquit Vives: sed modus hic  
servatur: & frenum adfectibus nimis ferocientibus  
injiciatur: ut disputationes minus sint scenicae: ut  
sint sermocinationes potius amicae: quam pugnae  
inimicae: ne disputans proprio fervore incallescens  
nimis, vel adversarii immodestia procul abreptus,  
in animi perturbationem incidat: quæ praepeditus  
neque adversarii mentem recte percipere: neque quid  
illi sit reponendum circumspicere potest: ut idcirco  
biliosi, fervidi, irritabiles, captatores inanis glori-  
olæ non sint idonei altercationi. Nam ut oculus  
cōturbatus non est probe adfectus ad suū munus fun-  
gendum: & reliquæ partes totumque corpus, a sta-  
tu cum est motum, deest officio suo ac muneri: sic  
cōturbatus animus non est probe adfectus ad rationis  
usum legitime dirigendum: ut Cic. 3. Tusc. c) ne  
commotis sic utringue disertantium animis in  
ἐριστικὸς λόγος h. e. rixosus, scurriles & ani-  
les altercationes disputatio, quæ hac via semper fie-  
ri solet, erumpat: quæ nihil est veritatis indagi-  
ni perniciosius: nihil homine docto turpius: ut il-

B 5

lud

lib. 1. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

lud vulgi sermone tritum de tali disputatione pro-  
verbium, nimium altercando veritatem amit-  
ti, sit nimis verum. Quippe ut navta malunt, in  
tranquillo navigare fluvio, quam in mari impetu-  
oso: sic etiam cordati & sapientes placidis dele-  
ctantur disquisitionibus, non turbulentis. d)  
Quamvis enim difficile videatur hoc: ut illi sit ami-  
cus quispiam, in conversatione: a quo discrepat in  
opinione: tamen menti bene informata, & his in  
rebus exercitata non est hoc impossibile: quin pos-  
sit sine odio partis adversa litigare: cum dissen-  
tire ab alio sit iudicium mentis: sed odium  
flamma voluntatis: ut nervose simul & acute  
Dn. Phil. loquitur: lib. 3. Dial. de reg. cons. sub  
reg. 3. Ex quo promanat Germanicum illud cuijus-  
vis in ore verbum: Der sachen Feind / aber  
Der Personen Freund. e) quam eleganter  
11. de Legib. sic expressit Plato: μηδένα κακη-  
γορείτω μηδεὶς. ὁ δὲ ἀμφοισβητῶν ἐν ἡσὶ λόγοις  
ἄλλῳ ἢ ἄλλῳ: διδασκέτω καὶ μαρτυνέτω τὸν  
τε ἀμφοισβητῶντα, καὶ τὸς παρόντας: ἀπε-  
χόμενος πάντῃ τῷ κακηγορεῖν: h. e. nemo  
in aliquem convicietur: sed quicumq; cum aliquo  
dere quapiam ambigit, discat potius, doceatq;  
tam ambigentem, quam presentes: ut omni con-  
vicio prorsus abstineat. Cuius etsi forte legis av-  
toritatem contemnat alter: ne tamen hoc alte-  
rum in illud altercationis scurrile certamē pertra-  
bat:



hat: qui lacesfitus est, amicé pramonebit pervica-  
 cem antagonistam: ut aut ab injuriis & scurrili-  
 bus moribus abstineat: &, ut vulgo loquuntur,  
 personalibus prætermisissis, ad realia pergat: aut  
 è palestra disferendi excedat. Quorum neutrum  
 si potest obtinere: potius æquo animo scurriles in-  
 petus, injuriis pro honoris sui tutela leni reter-  
 sione ad animum revocatis sustineat: quam ut a scopo  
 controversiæ abstractus ignominiose hujjmodi  
 velitationi se committat. Ἐκ γὰρ τῶν κατ' ἐχθρο-  
 σίας τε ἀλλήλοις ἐπαρωμένους καὶ δι' αἰσχροῦ  
 ὀνομάτων Ἰπιφέρειν γυναικείας ἑαυτοῖς, φή-  
 μους. πρῶτον μὲν ἐκ λόγων καὶ φε πρᾶγμα-  
 τῶν, ἔργῳ μίση τε καὶ ἔχθρῳ βαρύνονται  
 γίνονται: h. e. cum sibi invicem turpibus verbis  
 maledicunt, muliebres habentur. Et in primis ex  
 verbis, quæ certe levissima res est, odia gravissi-  
 me, & inimicitia sæpe nascuntur: eodem Plato-  
 ne in allegata lege censente.

XIIX.

Logicum in quattuor partes est di-  
 stinctum. Quarum prima est: ut sta-  
 tus & scopus controversiæ sit præ omni-  
 bus accurate circumspectus, & a non  
 controversis, sed utrinque concessis, at-  
 tamen eidem cohærentibus causis,  
 ambiguitatibus, si quæ fortassis oc-  
 currant,

currant, ne disputatio in λογομαχίαν  
b incidat, aut sublatis, aut commode  
distinctis, curiose separatus: semel au-  
tem rite conspectus, in progressu fer-  
ventis disquisitionis, adversario ad  
eundem subinde, si declinet eum, re-  
vocato, studiosissime semper observa-  
tus c. Ex quo legi *septima* locus: *Dispu-  
tator statum & scopum causa inter se &  
adversarium controversa praespeculatum,  
& a non controversis causis distinctum  
habeto: eumq; rite sibi & adversario pra-  
fixum semper observato.*

a) Caput n. est in altercatione omni, ut scia-  
tur qd in controversia positū, quod disputando vel  
propugnari, vel impugnari debeat: quid vero ex-  
tra disquisitionis aleam utring; concessum sit:  
quod eo non observato temere ac ridicule ultro ci-  
troq; multa jaectentur: & disputatio tota in risum  
abeat: quando more andabatarum aërem ferire,  
& cum larvis luctari dicentur uterq; meritisime:  
qui certum, contra quem, & pro quo disputent,  
scopum, sibi certo praefixum non habent: quorum  
altero de capis quaerente, de aliis alter respondet: &  
altero cælū agitari adserente, alter q in mūdi me-  
dio terra cōquiescat evincere conetur. L. Viv. disp.  
b) vel λεπτολογία, h. e. vanam de vocibus  
tantum.

tantum, cum de re ipsa consensus inter utrumque  
 sit interim planus, liticulam: ad quam excluden-  
 dam hac utilis est cautela: ut voces cum in reli-  
 quis disputationis partibus: tum in primis in sta-  
 tum controversiæ vel vitentur ambiguae: vel si quæ  
 forsitan sint intermixtæ, ritè distingvantur: ut,  
 si sub ambiguitatis latebrâ se velit occultare: &  
 ὁ δὲ καπνὸς εὐολογεῖν adversarius: mox ad-  
 certam istius homonymias significationem con-  
 stringi debeat. c) ne per adversarii fraudes dispu-  
 tator ab hoc se divelli, vel clanculum ad alium  
 quemvis, sive plane peregrinum, sive ad finem  
 abduci sinat: sed illum declinare a proposito  
 subinde volentem, ut ad rhombum respondeat,  
 & tandem de tribus capellis dicere pergat,  
 sedulus hortator existat. Nam si ceperit  
 adversarius ex nostro campo digredi, sen-  
 simque & dolose aliorsum pellicere: cogendus est,  
 ut de statu questionis disputet, de quo in quo ver-  
 sabitur controversiæ: idque impense urgendum: ne  
 imprudentes eo delabamur: de quo diceremus im-  
 parati. V. disp. in fin.

XIX.

Secunda a: ut rei controversiæ natura  
 sit ex arte sua cuique disputantium peni-  
 tius explorata b: quo non modo illius  
 argumenta ad faciendam adsertioni  
 suæ fidem comparata in promptu habe-  
 at;

at: sed etiam quibus adversa pars uti  
possit machinis, & quomodo harum  
impetus sustineri ac averti possit: du-  
dum ante c. præcognoscat: Quæ cautio  
Legem octavam suppeditat: Disputatio-  
nis pugna se commisurus, rei de qua dispu-  
tabitur, controversa naturam accurate  
præcognitam, & argumentorum in utram-  
vis partem militarium robur prius explo-  
ratum habeto.

a) Proximum est, inquit Vives, ut Respon-  
dens perspectam illorum omnium habeat naturam  
de quibus agitur: ut ea non solum a diversis atq;  
absimilibus cogitatione atq; animi iudicio sejun-  
gat: sed a conformibus etiam, quæ ex similitudi-  
ne facta possent facere ad fraudem: ut sic & distin-  
guere ambigua, & dividere, & definire recte va-  
leat. Quorum trium ignorantia magnos in dispu-  
tando & turbulentos errores adfert. b) Cum  
enim animo dijudicandi verum a falso certaminis  
uterq; discrimen subeat: utiq; rei controversa ma-  
teriam penitus sime probatam quisq; sibi facere de-  
bet: ne sibi Aristotelicum illud 2. Phys. aliquis ob-  
ganniat, quod cæcus de coloribus disputet; vel hoc  
Apelleum: quod sutor ultra crepidam dijudicet:  
Cum earum duntaxat rerum iudex quisq; cense-  
atur idoneus. quarum est eruditus: eodem Aristot.  
1. Ethic.

7. Ethic. teste: & quam quisq; novit artem, in hac  
suafore Cicerone exercere se debeat. c) Tela enim  
previsa, quod vulgo dicitur, saepe declinari pos-  
sunt: aut, si non detur hoc, minus tamen feriunt.  
Ut enim ex insolito majior est formido: & maxi-  
me commovent, quae contra spem expectationemq;  
eveniunt: sic etiam multo ante prevista argumen-  
ta, languidius incurrunt, & facilius retorque-  
ri possunt. Cui contrariae partis rationum indagini  
multum proficit: si, quam sequatur in proposita  
controversia sectam adversarius, & illius schola  
prius explorata fuerit.

xx.

Tertia: ut principia a Rationis nostrae  
tam generalia & summa, ad quamvis ar-  
tem: quam specialia & inferiora ad rei in-  
disputatione controversae materiam in  
arte sua, pertinentia, sint & explora-  
ta satis, & utrinq; a disputantibus com-  
probata: ad quae sit in fervore Dispu-  
tationis summo, si pars alterutra veri-  
tati nolit aliter cedere, gradatim, pri-  
mum ad specialia, post ad generalia,  
tanquam ad superiorem, & tandem ad  
summum judicem b ex utriusq; placi-  
to, provocatio instituenda. Ut ea pro-  
pter hic promulgetur lex nona: Dispu-  
taturi, si non inter ipsos de veritate rei con-

170.

troversa, per amicabilem disquisitionem  
convenire potuerit, illius utrinque indubita-  
ta veritatis principia iudicem ad noscunt:  
ejusque tandem supremi arbitrio, supremo  
modeste acquiescunt.

a) quae sunt normae certitudinis, & regulae  
veritatis, cum generales quibuslibet artibus com-  
munes: quarum D. Phil. lib. 4. Dial. in princ. tres  
recenset: tum speciales cuiusque arti, ex qua theses  
excerptae sunt, in sua materia κεφαλαιομοι και  
εισορισμοι peculiares: ex quorum his veritas  
thematum exstructa: illis vero eadem superstructa  
debet esse. b) tunc enim nolens volens rationibus  
exinde necessario constructis cedere cogetur adver-  
sarius: qui si negaverit illa: tunc contra negan-  
tem principia Disputatio sit tibi nulla: ut habet  
vulgatum Aristotelis dictum. c) quod tum com-  
mode fiet: si disputator generales illas certitudinis  
normas seu fundamentum disputationi substernat  
toti: deinde syllogismi sui, cum propositionem  
Topicis argumenti cuiusvis firmitudinem in ar-  
guendo declarantibus maximis, vulgo consequen-  
tiarum regulis, praemunerit: tum adsumtionem  
ex speciali illius artis, de cuius aliquo dogmate  
controvertitur, utrinque pariter comprobata hypo-  
thesi circumvallare quiverit. Quo facto, regulis sci-  
licet Logici, & artium hypotheseibus, ex usu, &  
auctoritate artificum ad probandi vim allatis: fie-  
ri

rinequit aliter: quin adversarius aut cogatur ra-  
tionem exceptionis & diversitatis à regula demō-  
strare: aut ab his consequentiarum & hypotheseum  
regulis ad summum principiorum generalium tri-  
bunal provocare. Huc usq; enim postquam pveneris,  
si pergas ulterius piculum erit: ne, sicut est in prover-  
bio, nimium scalpendo sanguinem elicias, ac vivum  
rescindas: inquit L. Viv. de disp. Quaecunq; autem  
ex hisce certitudinis & veritatis normis sentētia la-  
ta fuerit: illi aut sine provocatione ulteriore, quæ  
ab hoc, ut supremo iudice, non datur, adquiescet:  
aut cum ratione, post Anaxagoram, qui nivem di-  
xerat atram, insaniet.

XXI.

Quarta deniq;: ut Disputatio, de  
statu controversiæ bene perspecto, ex  
certis principiis exstructa, sit rite pro-  
lata. Quod in eo versatur: ut sit brevi-  
bus & perspicuis verbis, ordine & ex rati-  
one solida Syllogistice formata.

XXII.

Brevitatis cum perspicuitate verbo-  
rum, cum propter, adversarium: tum  
etiam auditores est imprimis ratio ha-  
benda: ut verbis uterq; disputet usita-  
tis, claris, & extra ambiguitatis aleam  
positis:

C

positis:

positis: ut sensus animi rotundis brevium periodorum circuitibus <sup>a</sup> includat: ne vel avscultandi ex loquacitate nimia tedium superveniat: vel ob verborum nebulas & ambages prolixas status disertationis obscurior fiat. Cui malo Lex decima sic occurrat: *Disputator verbis & sine longo circuitu brevibus, & sine perplexitate perspicuis suos animi sensus proponito.*

*a) non enim decet per varios verborum circuitus, & copiosi sermonis oratorios anfractus, quibus veritas involvitur, declamitando & eis αὐνίγματα καὶ λήξεις argumenta dilatando tempus consumere: sed prætermisis ambagibus, circa ipsum controversiæ scopum, brevibus animi sui sensa antagonista examinanda offerre: & per ambages dilapsam hac increpatione: quod non declamandi, sed disputaudi gratia conventum sit, in viam revocare: ne cogatur declamator intempestivus & odiosus illud Salustium audire: ubi satis loquentiæ: ibi sapientiæ parum. Cum contra σοφὸς πρὸς ἀνδρὸς, ὅστις ἐν βραχείῃ πολλὰς καλῶς οἷός τε συντέμνειν λόγους. b. e. viri sapientis sit, res multas brevibus concludere: Aristophane teste.*

XXIII.

In



In Ordine, qui requiritur, id potissimum debet attendi: ut omnis sive oppugnatio, sive propugnatio thesium, sine excursionibus, & diverticulis in res alienas, ad ipsum scopum dirigatur: sola *thesis* cum *antithesi* committatur: & quisque disputantium sibi semel ab initio tributam, sive oppugnatoris sive defensoris, personam sedulo suam tueatur: non autem induat mox alteram *a*: alioquin objurgabit eum lex *undecima b*: Disputantes ordinem cum singuli in animi sui sensis proferendis legitimum: tum inter se mutuo per opponentis, & defendentis personas alternatim observant.

*a*) ut qui Defendentis sibi personam sumsit, ad objiciendi aliquid adversario munus, nisi per retorsionem vel instantiam fiat, nequam transfiliat: qui Oppugnantis, in se respondendi onus, si quid objectum forsitan a defendente, ne recipiat: sed illum, ut suam Defensoris, non Oppugnantis personam tueatur, modeste moneat. Quem si fors ordinem turbari contigerit: a scopo suo disputatio tota, in confusas, & a proposito prorsus alienas altercationes erumpit. *b*) quæ tamen personam Presidis tam arte non constringit: quin ille pro

Disputantium vel Auditorum usu πείρασθαι  
quodpiam intermiscere quandoq; rem oblatam di-  
lucidius explanare: & utriq; tam Opponētis, quam  
Defendentis cause, sicubi laboret, suppetias ferre  
queat.

XXIV.

Rationes, quibus utrinq; tanquam  
armis mutuo concurratur, oportet esse  
solidas, h. e. artificialia argumenta, suis  
principiis, utrinq; concessis, pro judi-  
cio Rationis a superstructa: ut in hac  
Disputantium Palæstra argumentum  
inartificiale ab Auctoritate hominis b  
propria sit admodum elumbe c: cui li-  
cet ferme nullus uspiam, nisi in Ratio-  
nis argumentorum omnis defectu d re-  
linquatur locus: si tamen forte produ-  
ctum sit ab aliquo: sine ignominia te-  
stis declinari debuerit e. Cæterum ad-  
versarii ipsius contra semetipsum, si  
absq; calumnia f produci possit testi-  
monium: id vero maxime pondero-  
sum & forte censebitur. Legis itaq;  
hæc est duodecimæ summa: Disputatio-  
nis solida fundamenta in Rationis per ar-  
gumenta artificialia, iudicio fixa: non au-  
tem

tem auctoritatis propriae inartificiali in arbitrio posita sunt: & disputaturus rationibus non auctoritatibus etiamsi plurimae sint, & antiquissima h. pugnato.

a) quae si recte sit adhibita, cernit quid optimum sit: neglecta multis homines implicat erroribus, Cic. dicente: cum nihil per se verum sit: nisi in quo iudicii ratio, quod idem censet, existit. Οὐ γὰρ πῖς ἄτιον τοῖς λόγοις, ἄνευ τῆς πρὸς τὰς λόγους τέχνης: h. e. Sermonibus aliorum non est, absq; arte Rationis credendum: ut Plato sapientissime censuit. b) In iis enim quae docentur caelitus, quaeq; sensum omnem, captumq; humani animi exsuperant, & à solo Deo cognosci possunt & tradi: potissimas partes (immo omnes & solas) ferunt Dei ipsius auctoritas: tum eorum, quos à Deo illustratos & edoctos esse evidentia nobis signa ostendunt: ut argumenta quibus dicta sua confirmant, dictis ipsis sint similia, nempe divina, & naturam excedentia. Jud. xiv. lib. 20. de disput. c) Non enim sufficit: ut aliquis dicat aliquid: sed & defendat, quod quisq; sentiat: cum debeant esse libera hominum iudicia nullius magistri legibus adstricta: quibus in Philosophia necessario pariant: quid sit in quaque re maxime probabile, semper requirentia: Cic. ii. de fin. Scite quidem loquitur semper Hippocrates: sed Plato vult praeter Hippocratem considerari: utrum no-

bis ratio disputationis consonet. Neq; enim,  
ait *Quintilianus Orat. Inst. lib. 10.* id statim le-  
genti persuasum sit: omnia quæ magni au-  
ctores dixerunt, utiq; esse perfecta. Nam  
& labuntur aliquando, & oneri cedunt,  
& indulgent ingeniorum, suorum, vo-  
luptati: nec semper intendunt animos, &  
nonnunquam fatigantur: cum Cicerone dor-  
mitare Demosthenes interdum: Horatio ve-  
ro & Homerus ipse videatur. Summi qui-  
dem sint: homines tamen &c. Non igitur tam  
auctoritatis in disputando: quam rationis  
momenta sunt querenda: *Tullio 1. de nat. Deor.*  
*teste: ut non movere nos juxta Senecam auctoritas*  
*dicentis: nec quis: sed quid (h. e. interprete Pla-*  
*tone in Charmide: utrum vere dicatur, nec ne) di-*  
*cat, intendi debeat. Quorum enim in animis tan-*  
*tum semper præjudicata potest opinio: ut etiam si-*  
*ne ratione eis valeat auctoritas dicentis: ad hanc*  
*palestram sunt inepti penitus: cum desinant suum*  
*judicium adhibere: id vero simpliciter ratum sine*  
*disquisitione habeant; quod ab eo, quem*  
*probant, judicatum vident: ut etiam quæ pro-*  
*bare non solent alias, ea cogantur constantie*  
*causa defendere: vel primum ante teneantur ad-*  
*stricti. quæ quid sit optimum judicare possint: vel de-*  
*niq; alterius, quem colunt, oratione capti, de re-*  
*bus judicent incognitis: & ad quamcunq; sint di-*  
*sciplinam, quasi tempestate delati, ad eam tan-*  
*quam*

quam ad saxum adhaerescant, Cicerone in Luc. teste. Neque vero hoc Disputatori continget inter adversarios: quod Pythagora inter discipulos, ait post Ciceronem 1. de nat. Deor. Fabius: quos ferunt, si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quare retur: quare ita esset: respondisse solitos: ipse dixit. Omnia, & merito quidem, religiose metuimus in sacris: at non ita in auctoribus humanis omnia venerari oportet: sed audacter adhibito iudicio, quaedam probare, quaedam improbare. Neque sic parendum Poëtis aut Philosophis: quemadmodum pueri obtemperant Pedagogis: sed quemadmodum Cato puer parebat quidem pedagogo iubenti: sed rogabat, quam ob causam id iuberet: ita fides habenda est auctoribus, si causam idoneam reddiderint: ut prudentissimus Plutarchus diserit. Utamur igitur (verbis loquor Ciceronis) libertate iudicii in philosophia: cuius oratio nihil ipsa iudicat: sed habetur in omnes partes: ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adjuncta, iudicari: atque ita disputaturi simus. Nullius addicti jurare in verba Magistri. d) Quod demum casu valebit Du. Philippilib. 4. Dial. de auctor. regular: quod Artifici perito credendum sit aliquid de sua arte, sed perspicue & ex probabili ratione adseveranti. e) cuiusmodi refutationis formulam elegantissimam videmus ab Aristotele nobis lib. 1. Ethic. c. 6. prescriptam: εἰ μὲν γὰρ ὄντων φίλων: ὅσιον περιμεῖν τῆν

*ἄληθειαν*: h. e. ut vulgo loquimur: Amicus  
Plato: amicus Socrates: sed magis amica ve-  
ritas. Quæ sine injuria personæ, & salva ipsius  
auctoritate argumenti ab auctoritate producti in-  
becillitatem præterit, & ab illius objectione, utpote  
quæ nullius in palestra disputationis sit momenti,  
se relevari amice petit. f) Scabiosum hoc est in di-  
sputatore vicium: si Sophistica verborum adversarij  
contorsione usus, contradictionis illum nodo impli-  
care, & alienum ipsius dictis adtingere sensum sa-  
tagat: ex quo telâ contrarietatis calumniose texat.  
Quod ne cuipiâ accidat disputanti: ut suo ipsius gla-  
dio jugulari possit, in disserendo cautus sit: ne quod in-  
considerate proferat, quod antagonista sensui con-  
ducatur: neve testimonij vel sui, vel ad seclarum  
contra se ab adversario prolatis sic irretiri se patia-  
tur: ut non prius, quid, quomodo, & ex quo av-  
ctore allegetur, accurate ex ipsius testis ore, vel  
scripto dispiciat: cum ex oculari inspectione con-  
textus, antecedentibus cum consequentibus, ad  
scopum præfixum, & materiam subjectam pensi-  
tatis, sapissime fucus sophisticæ cujusdam allega-  
tionis, & testimonij per mutilationem, sensus dis-  
tortionem, vel aliter depravati, calumnia fiat ma-  
nifesta: utpote si sit illud a scopo contradictionis  
alienum: vel levi quâpiam diversitatis ratione,  
cum thesi proposita conciliandum. Quo scita per-  
tinet Jurisconsultorum cautela: quæ non testimo-  
nium, sed testibus fidem censent adhibendum: ex re-  
scripto

scripto D. Hadriani, l. testium. 3. §. idem D. de  
testib. g) Non enim numeranda sententia, sed  
ponderandæ veniunt, censore Plinio: & D.  
Justiniano precipiente; non ex multitudine av-  
ctorum, quod melius & æquius est judican-  
dum: cum possit unius forsitan & deterioris  
sententia & multos, & majjores aliqua in  
parte superare: l. 1. §. cumq; hæc materia. C. de  
vet. jur. enucl. h) Non enim ideo verum est ali-  
quid, quia antiquum: cum illi qui sunt antiquis-  
simi, fuerint æque, atq; nos sumus, erroribus ob-  
noxii. Non enim, ut ait Lactantius, illi qui nos  
temporibus antecesserunt, sapientia quoq;  
antecessisse putandi sunt: quæ omnibus æquali-  
ter data ab antecedentibus, præoccupari non potu-  
it. Quod vero ab initio viciosum fuit: tractu tem-  
poris non convalescit: ut habet Jctorum regula:  
l. quod. 29. D. R. J. c. non. 18. R. J. in 6.

xxv.

Easdem oportet esse, per antitheses &  
Syllogisticè conformatas: ut quod profer-  
re voluerit Disputantium alteruter, il-  
lud Syllogismo vel pleno, vel, si perspi-  
cua sit antecedentium alterutra, enthy-  
matico b per contradictionem sic con-  
cludat: ut alter inde, quid, & per quod  
argumentum sit ita conclusum, clare

C 5

per-

perspiciat. Quo lex decima tertia spectat: disputando cum quopiam congressus ad formam in antithesi syllogisticam non nuper intra scholarum parietes confictam: sed in bene disferentium usu publico ab omni tempore comprobata et disferito.

a) Quisquis enim adversus alium se disputationis praelio committit, thesin antagonista thesi contrariam, & sic antithesin semper inoliri debet: quae licet frequentius ad oppugnantem spectet: si in Defensor adversus aliquod Opponentis thema refutandum insurrexerit, hic illi vicissim per antithesin obstare debuerit. Qualicumque igitur sit disputantis conclusio, semper illa thesin antagonista thesi contradictorie contrariam contineat: secus si formata prodeat: ut vel cum thesi adversarii consentiens idem dicat: vel a scopo disputationis aberrans ad aliud intendat: illo casu, conclusio est extra controversiam concessa: hoc vero, tali dictorio facile repulsa: hoc nihil ad rhombum: & δὲν ἄλλο ἴσθιν: vel ἔτω ὅ: saltas extra chorum: extra oleas vagaris: extra scopum jaculas, &c.

b) Cum enim & Enthymema syllogismus sit, in quo positus quibusdam aliud sequitur: non modo illius forma non abhorrens a Disputationis exercitio fuerit: sed praesyllogismo integro in alterutrius antecedentium perspicuitate magis accommoda:



ut tediosa & ociosa devitetur in pleno Syllogismo,  
ex illius in antecedente partis, quæ per se manife-  
sta satis, repetitione, tautologia. Nam alias si  
fraudulenter quis enthymema protulisse visus sit  
consilio: ut omisse partis vicium occultet, vel non  
satis cautum aliter circumveniat: hic ut pleno dis-  
serat syllogismo non immerito vi legis posita cogendus  
fuerit. c) Non enim hoc ad Disputationis spectat  
formam essentialem: quod ante paucos tamen an-  
nos in publico de re Theologica Disputationis actu  
quidam pertinaciter contenderunt: ut quicumque di-  
sputantes eis ἐκείτερον, h. e. in utramque partem,  
maxime in instantis ulterioribus disserunt, nudis  
illis trium terminorum, in majjore, ac minore,  
cum conclusione, vel, ut vulgo loquuntur, illatio-  
nis nota puerorum & tironum Logices more, an-  
gustis eodem ordine, & iisdem formulis tenuissi-  
mis, a quibus ne transversum quidem unguem re-  
cedere liceat, concludant: nullis vel declarationis,  
vel prosyllogismorum rationibus intermixtis: sed  
ut ita rationes in disputando suas disserant:  
ut ex his conclusio perspicua ex medio con-  
cludendi manifesto producta, tandem redeat.  
Quæ si appareat: satis syllogistica fuit ejusmodi  
disputatio: sin minus: ut tunc disputator suas pla-  
nius explanet rationes, adversarius urgere debet.  
Disputarunt utique omnibus retro seculis ex litera-  
tissimis, & rei Logice peritissimis, in omni disci-  
plinarum, & linguarum genere, tam in scholis,  
quam

quam in foro quam plurimi: & hi quidem cum ad-  
versariis acerrime saepe congressi: non modo philo-  
sophi profani, Plato, Socrates, Aristoteles, De-  
mosthenes, Plutarchus, Cicero, Quintilianus &c.  
Sed etiam sancti Theologi, Naziazenus, Argu-  
stinus, Lactantius, Hieronymus &c. Immo via ve-  
ritatis ipsa Filius Dei, Propheta, Apostoli: Ubi-  
nam vero hi sunt illo puerili, tenui & jejuno, quem  
nobis obtrudunt aliqui, Disputationis modo per  
solam illationis notam. Ergo igitur &c. ratiocina-  
ti? a quibusnam intra illos majoris & minoris  
propositionis, cum conclusiuncula, solemnibus ver-  
borum formulis exprimens, ex illos angulos tanto  
cum rigore circumclusi? ut Disputatio ad For-  
mam non esset illa: quae non esset a majore ad  
minorem, & de hinc conclusionem, ordine & mo-  
do, & verbis solemnibus ac semper iisdem tenuissi-  
me, sine ulla adiectione, ad exactissimam quasi  
normam redacta? Procul absint illa Sophistarum  
ad formam, si rationum vinculis impediti se ne-  
queant aliter expedire, subterfugia: illae pueriles  
vanitiae: ridicule in vacuum & infinitum conten-  
dentes nugae: quarum plerumque cum ad summum  
intenditur Disputatio in puerilium de modis & fi-  
guris altercationum, nervos erumpit, in fumos a-  
bit; in infinitum & vagum excurrit: & ante quod  
nihil erat, in nihilum recidit. Distingvantur ar-  
tem pueriles in umbra scholarum privatarum in-  
ter titones Logicos exercitationes, a publicis lite-  
rato-

ratorum & disertorum de rebus serijs agentium  
Disertationibus. Sint sane certis illae privatim  
concluse limitibus: certae sint in negotio non serio  
his formulae: quibus utantur, donec sine cortice na-  
tare, & suo Marte disputare condiscant, prescri-  
ptae: quid tum? viris etiam illae literatis & diser-  
tis, de rebus gravissimis publice disertatibus, sunt  
obtrudenda? horum disputantium rationes & ora-  
tiones angustae fuerint his angustiis constringenda?

XXVI.

Et sic est officium utriusque commune:  
sequitur alterutri proprium: nimirum  
a parte vel Opponentis vel Respondentis  
considerandum. A parte Opponentis  
qui pugnae facit initium, officium tribus  
requisitis est comprehensum. Quo-  
rum primum est: ut is objectionem vel  
ratiocinationem suam, certae alicui di-  
sputationis thesi contradicentem, Syl-  
logistice sic elaboratam habeat: ut an-  
tecedentis, sive propositionem, sive  
adsumptionem, sive utramque *a*, ad postu-  
latum Respondentis *b*, certis principiis  
suffultas, & argumentis evidentibus, p̄mu-  
nitas, per prosyllogismos *c* p̄meditados ha-  
beat: & hos ordine *d*, unum post alium  
disso-

disolutum, proponat: quo Legi decimæ quartæ satisfiat, quæ sic habet: Opponentis officio functurus, objectionem syllogisticam certæ thesi oppositam, & prosyllogismis probe suis instructam decenter proferto.

a) prout alterutra, vel utraq;  $\kappa\rho\iota\nu\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$  h. e. probationis indiga fuerit visa. b) qui si probationem non flagitet: in illius veritatem propositionis tacite videtur consensisse: & onere probandi gravissimo Oppugnantem sublevasse: ut stultus ille videatur, si quod sufferre necesse non habet, sua sponte recipiat. c) sine quibus obiectio plane momenti nullius est, & auditorū ludibrio exposita: cum paria fere sint: objectionem pferre nullā: & pferre qdē aliq, sed psyllogismis exarmatā. Nā ut palestrita ridetur non immerito, qui prodit instructus armis in arenam: sed quibus uti nequeat ad ictus evibrandos, vel excipiendos: sic etiam ridiculus est Opponens ille: qui syllogismum opponit nullo prosyllogismo, sicubi foret opus, suffultum. d) nimirum si plures in promptu habeat ad probationem  $\tau\acute{\epsilon}\ \kappa\rho\iota\nu\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$  directos: ne si simul omnes uno conglobet ictu, Respondens sive per imprudentiam sive suppressionem fraudulentam quosdam non refutatos prætereat.

*Secundum*, ut datum a Defensore ad  
objectionem oppositam responsum,  
bona fide, quantum memoria licuit cōti-  
nere, & si lōgior fuerit breviter contra-  
ctum *repetat*: repetitum, si aliqua ex  
parte non satisfecerit, *Replicatione* pru-  
denti, ex alio capite, refellat: cui si  
Duplicationem Respondens objece-  
rit: eandem, si cum ratione potest, *tri-  
plicatione* removeat: & tamdiu per ul-  
teriores argumentorum probabiliū  
Defensorem urgeat *instantias a*: donec  
Respondens vel sibi mediocri solutio-  
ne, (quam in materia, non apodictica  
qualemcumq;, saltem verisimilem ac-  
ceptare debet) satisfecerit: vel, si no-  
dus sit indissolubilis, veritati, & ratio-  
ni in antithesi fortiori, locum concesserit.  
Unde Lex *decima quinta* surgit:  
*Objectioni datum Responsum breviter Op-  
ponens repetito: idq; per instantias replica-  
tionis, & quandoq; si sit opus triplicationis  
resistere pro sui syllogismi subsidio conator.*

a) Replicare & instare hic non est, ut vul-  
gus stolidē putat, vel eandem, quae prolata fuerat,  
sive in objectione replicando: sive in replicatione  
tripli-

triplicando cramben jampridem confutatam  
mox fastidiose recogere: vel ad primum Responsi-  
onis qualicumq; sonitum novam objectionem, sive  
aliud argumentum, priore deserto, mox opponere:  
sed datam solutionem, tanquam ejusmodi modo  
dissecando non sufficientem, alia ratione infringe-  
re: & diversitatis modum, quo fiat, ut data solu-  
tio locum habere nequeat, explanare. Ubi formu-  
lae sunt haec vulgatae: adversus hanc responsionem  
sic insurgo: insto: latius urgeo &c. Quod tum fieri  
commode potest: si, quo verisimiliter telo Respon-  
dens excepturus sit objectionem, praevium ab Op-  
pugnante fuerit: & de subsidio quodam ille ratio-  
nis unius atq; alterius, quo Respondentis Exceptio-  
ni resistat, & suae objectioni laboranti succurrat,  
sibi probe circumspexerit: in primis autem si maxi-  
mis & principiis rationis generalibus, pro firman-  
da basi vel propositione suae Objectionis sat arma-  
tus, prodierit: quibus tam diu insistat: donec ad-  
versarius ἐνστασιον, h. e. instantiam, vel excepti-  
onem per diversitatis rationem evidentissimam  
protulerit: cum alias regulae tam diu stetur, donec  
exceptio probata fuerit. Quod si operam non de-  
derit Opponens: sed primae Respondentis solutioni  
vix perceptae mox adquieverit ad vulgatum illud  
Aliud conversus: tenuis ingenii signum hoc est:  
quod Disputationem despiciatui totam propinat o-  
mnibus eamq; cum tædio frigidam, enervem, &  
somnialem reddit. Quod si tamen ita Responsio  
solida

solida sit, ob theses propositæ conditionem apodicticam: ut quod objiciatur instando, nil supersit: satius tunc est in dato, ad quiescere responso: quam idem illud, quod ante dictum erat opponendo, mox replicando tautologice, qui mos imperitorum est reproduxisse.

XXXIX.

Tertium ut in hoc Instantiarum prælio caveat: ne Sophistarum more, sui aliquod ingenii commentum, extra antithesin, contra quod eo luctetur commodius, Defensori præter mentem suam adfingat: neve a scopo sui argumenti objecti se abduci sinat, ut, si forsan Respondens, antequam sibi satisfecerit respondendo, vel ad sui thesios probationem, vel instantiæ oppositionem delabi velit *b*, illum ad argumenti objecti nodum solvendum revocet *c*: quo non expedito prius, ad examen probationis thesium, & responsionem ad instantias *d* cum ipso non descendat. Cæterum si pervicax vel obtusus & nimis ad solvendum adpareat: illum obliqua via, si recta non possit, vel impossibilitatis, vel contradictionis nodo involvat: atq; ita legis

D

decima

*decima sexta cautela attendat: Oppo-  
nens antithesin candidè ex sententia Re-  
spondenti contraria proferto: ab eaq, non  
nisi soluto prius controversiæ nodo se abduca-  
sinito: quem dissolvere si nolit ille, vel non  
possit exactè: per impossibile eum, vel con-  
tradictionis angustias refutato.*

*a) sic enim disputans, ut in articulo Defensori,  
præter suam mentem, aliquam thesin per Sophi-  
sticam & calumniosam verborum, ipsius interpre-  
tationem adstringat: quam ille pro sua non adgno-  
scat animadvertendo dolo: cum larvis luctari, vel mor-  
tuos jugulare dicitur non immerito. b) sive ex  
imperitia: sive fraude, forsitan absterritus  
argumenti objecti firmitudine. c) quia ni-  
mirum non suæ thesios ille intempestive probanda,  
sed adversus objectas rationes respondendi onus in  
se receperit: & quia instantiam dare, non est sol-  
vere: sed nodo solutionis præterito ad aliud subter-  
fugium, non sine pudore, quo se solvendo non esse  
fateri cogitur, se recipere. d) non ut examen Ar-  
gumentorum thesios subterfugiat: vel instantias  
eludat: sed ut discusso prius, & resoluto objecti ar-  
gumenti nodo, tum demum eo se convertat. ut ar-  
gumenta contraria & oppositas instantias refel-  
lat. e) ut vel suæ thesi pertinaciter insistat: nec  
tamen objectorum argumentorum vim ritè refel-  
lat:*



lat: vel subtiliora, si quæ sint, argumenta percipere nequeat: ut thesin vel concedat, & ex concessa sequelas absurdas, aut impossibiles necessaria vi Syllogismi eliciat: vel movendo quæstionem circa eam, ex data responsione conclusionem thesi adversam, sed adversarii propria confessione per interrogationem extorta stabilitam inferat.

XXIX.

A parte vero Respondentis quinque. Quorum primum est: ut Oppugnantis objectionem Syllogisticam verbis, quantum fieri potest iisdem, sed sensu prorsus eodem, voce clara repetat a: & repetitioni semel b factæ Responsionem mox subjungat: quæ vel in concessione vel refutatione consistat. Quarum illi locus sit: si complexio objectionis oppositæ sit impertinens, ut thesi nusquam contradicat c: isti vero, si eadem antithesin qualemcumque foveat: quæ, si non refutetur, veritati thesios insidias struat. Lex igitur huc decima septima jam accedat: Respondentis munus obiturus objectionem prolatam sincere & plene repetito: eiq; responsionem mox, vel concedendo, vel refutando, quod conclusum, subjungito.

D 2

a) in

a) In qua rite conficienda non levi opus est industria: nec res caret utilitate magna: cum ut ex illa repetitione interveniente, Oppugnans argumenti sui sensum recte a Respondente perceptum videat: & illius intellectus tam auditoribus, quam Defensori pateat apertior: tum etiam ut interim sub hoc repetitionis intervallo ratio solvendi vestigetur consideratior: adeo ut veteres objectionem bene fideliterq; repetitam, bona ex parte disolutam putaverint: A. Hunaeus, de disp. b) Mos enim ille bis terve repetendi objectionem, quem in Coloniensi & Lovaniensi Academiis solemniter receptum testatur Avg. Hunaeus, & in Parisiensi P. Ramus, cum tædiosa pueriliq; tautologia laboret, & temporis ineptissimo dispendio: nullo autem bene differentium exemplo probari possit: ut non immerito fuit olim à P. R. in Scholis Logicis explosus: sic etiam e nostra disputationis est Palaestra, licet a quibusdam adhuc hodie teneatur pertinaciter, exterminandus. c) ut concedatur argumentum totum, utpote thesi non adversum.

xxx.

Refutatio illa, qua thesin suam tueatur veram Respondens, vel formam ratiocinationis objectæ: vel materiam refellat. Illa, primo omnium animadvertenda, locum habet: si dispositio termi-

terminorum illius non sit legitime  
constituta a: ut hoc casu, quod est ob-  
jectum, mox *viciosa consequentia repre-*  
*hensione b* sit refellendum: causa tamen  
malæ dispositionis terminorum ex re-  
gulæ, quæ violata disponendo fuit,  
auctoritate demonstrata. Lex igitur  
succedat *decima octava*: *Refutaturus ob-*  
*jectionem primo omnium formam illius in-*  
*spicito: quæ si displiceat*: consequentiam  
ex regula syllogistica quæ violatur,  
impugnato.

a) nimirum si non sit exacte ad regulas, &  
leges syllogisticae dispositionis, tam generales, quam  
speciales conformata: si termini syllogistici sint vel  
corrupti; vel truncati: vel inverso loco positi &c.  
b) ut negetur consequentia, propter hanc vel illam  
syllogistici iudicii regulam viciosa: quia sint puræ  
negativæ: vel particulares: in prima figura ad-  
sumtio negata: plus in conclusione, quam fuit in  
premissis &c. Quod viciium, si lubet, comparatio-  
ne similis exempli pariter viciosi illustrare potu-  
erit.

XXXI.

Ista vero tum demum: si legitima  
quidem sit dispositionis terminorum  
in objecto syllogismo forma; sed ma-

D 3

teria

*teria in Antecedente viciosa: ut hoc ca-  
su, si objectio sit pleno informati syllogismo,  
antecedentis a vel alterutra, vel utraqz  
pars sit repudianda: quia nimirum vel  
ob verba: vel res sit viciosa. Verborum  
prior cura Syllogismum refutat: si  
sint illa vel perplexa vel ambigua.*

*a) quandocumqz enim Syllogismi pleni alicuj-  
sus objecti conclusio viciosa adparet: quia non con-  
cludat verum: ex legitima tamen dispositionis for-  
ma deducta: necesse est illius vicii causam in an-  
tecedente latere reconditam: cum ex anteceden-  
te ab omni vicio puro sit impossibile consequens,  
viciosum deduci posse: quod ex vero nil nisi ve-  
rum sequatur: & antecedente syllogismi ut vero  
ex omni parte posito, quod inde concluditur, ne-  
cessario verum existat: ut eam ob causam insul-  
sa & stolidi sit illorum responsio: qui syllogismi le-  
gitime formati consequentiam vel conclusionem,  
negare non erubuerint.*

XXXII.

*Obscura perplexitate si laboret ante-  
cedens: ut illius sensum Defensor non  
possit adsequi: declaratio petenda ab  
opponente eorum a, quæ perplexè di-  
cta. Quam si præstare vel nolit ille:  
vel*

vel ob imperitiam non possit: obiectio  
tota rejicitur per *ἄποδωξιν*, quia re-  
sponse non sit digna: & ea propter  
quod captum Defensoris subterfugiat,  
repudianda: ut admittatur *Lex decima  
nona: Forma objectionis si proba sit: De-  
fensor ad antecedens se convertito, & ejus  
primo omnium verba scrutator: qua si per-  
plexas videantur, declarationem eorum po-  
stulato: qua non impetrata, objectionem  
totam adspernator, ut responso indignam.*

a) Opere precium fuerit, exigere ut apertius  
loquatur, & rem definitione ac divisione planio-  
rem faciat: ut omnia circumstantibus reddantur  
apertiora &c. *L. Viv. de disp.*

XXXIII.

Sin ambiguitate, sive vocis unius, si-  
ve plurium: quæ diversos in illam an-  
tecedentis partem, & sic plerumque in  
conclusionem sensus inferat: quorum  
altero accepto, pars illa sit anteceden-  
tis vera, altero autem, falsa: per *distin-  
ctionem* sinceram & perspicuam, di-  
versas significationes explanantem  
Defensor his *homonymia & amphibolia*

D 4

technis

technis occurret: ut Opponentem aut  
ad alterutrum electionem, qua tollatur  
ambiguitas adstringat: & si redundet  
ambiguitas in conclusionis verba  
illam vel hoc sensu, ut veram: vel alio  
ut falsam agnoscat: aut si sub ambi-  
guitatis latebris ille delitescere & mo-  
lestus esse pergat: propter plures  
quam tres terminos, ex ambiguitate  
demonstratos objectionem formæ vi-  
cio laborantem rejiciat: ut Legi vige-  
simæ parere queat: *Si verba sint objectio-  
nis ambigua: Defensor perspicua distincti-  
one tenebras ambiguitatis dispellito: quam  
si nolit Opponens evitare: propter plures  
quam tres terminos objectionem viciosam  
removeto.*

*a Lex usu sermonis, & artium præceptis clare  
demonstratam: fingantur more Sophistico, vel  
novæ distinctiones, quæ nusquam in usu loquenti-  
um & philosophantium adpareant: vel ita subti-  
les & exiles, ut nullam inter disferentes, vel ra-  
tionem diversitatis, vel utilitatis sapiant: sed ej-  
juscmodi quæ ex usu bene cum dicentium, tum dis-  
ferentium monstrari queant, & ad antilogias con-  
ciliandas ab optimis artificibus & inventæ, & an-  
te dudum in Scholis disputantium trita fuerint.*

xxxiv. Ver-

Verba si satis perspicua sint: intuen-  
da res est ipsa: ut sit antecedentis alter-  
utra vel utraq; falsitatis suspecta *a*: quo  
casu, licet falsi forte ratio refutandi sit  
Defensori bene parata: consultius ta-  
men fecerit *b*: si vel partis utriusq; a  
majjore probata ad minorem descen-  
dendo: vel saltem illius, quam solam  
falsi suspectam habet, probationem per  
prosyllogismum sibi proferri ab Op-  
pugnante postularit: ut bene monet  
Lex vigesima prima: si partem anteceden-  
tis alterutram vel utramq; falsi suspectam  
habuerit Respondens: priusquam illam re-  
fellat probationem illius τὸ κρινομένῃs flagi-  
tato.

*a*) Nil enim amplius superest, si nulla sit am-  
biguitatis in antecedente latebra reperta: quam  
ut alterutra antecedentis in rerum, de quibus dis-  
serit, materia, sit falsitati cuiquam, sive ex omni,  
sive aliqua parte saltem obnoxia. *b*) Et quidem  
ob duas potissimum causas: cum si forte probati-  
onem illius κρινομένῃs Respondens in promptu non  
habuerit, ut Defensor ab onere refutandi sit ipso  
jure jam sublevatus: quod obiectio non probata

D s sit

fit quasi nulla, ut supra dictum: tum quod sepe fi-  
at: si Opponens vel longe aliam: vel multo levi-  
orem ea, quam Respondens prespeculatus erat,  
probandi rationem adferat: ut hoc casu refu-  
tandi via se facilius huic patefaciat: illo vero ali-  
am refutandi viam inire, & quam premeditatus  
fuerat, alio reservare queat: cum aliqvando sepe  
contingat: ut vel opera refutandi inanis fiat: vel  
Opponentem nova pugnandi via, ex rationum pro-  
bandi, quas ipse non adverterat, refutatione se  
aperiat. c) per hæc & similia verba: propositionem  
vel adsumptionem non admitto: probationem  
illius flagito &c. probetur major vel propositio:  
minor vel adsumptio &c. Et in syllogismo compo-  
sito: ut probetur propositionis connexio &c.

xx xv.

Si vero sit *Enthymematica* objectio:  
cujus antecedens vel falsum, vel verum  
videatur: ut tunc illo casu pariter illius  
probatio postuletur: hoc vero negetur  
*consecutio a*: h. e. antecedentis cum con-  
sequente connexio, propter omisam  
partem: quæ tum in medium ad syllo-  
gismi complementum, proferenda: &  
illius veritas eo, quo dictum jam de  
Syllogismo, modo excutienda fuerit:  
Ut *Lex vigesima secunda* dicit: *Enthyme-*

matica



*matica si sit obiectio: Respondens vel antecedens negato si falsum: vel consecutionem si verum sit idem.*

*a) D. Phil. cum vulgo hic etiam in Enthymemate negat consequentiam: verum quia negatur illa magis proprie in Syllogismo propter formam viciosa: distinctionis causa cum A. Hunc negari hic potest consecutio. Negatur igitur in Syllogismo propter formam viciosa consequentia: propter materiam, propositio, sive maior, vel adiunctio, sive minor: in Enthymemate vel Antecedens, vel consecutio; nusquam vero conclusio.*

XXXVI.

*Secundum ut Prosyllogismo Opponentis repetito, si laboret ille principii petitione a: antecedentis etiam huius utramque vel alterutram sibi probari postulet: donec ad aliquod illius perventum in arte sua fuerit principium, ab utraque parte comprobatum b: ut tunc demum si Respondens accuratè & pressius probet: ultimo prosyllogismo solutionem, si potest directam; sin minus, obliquam contraponat. Illam per inficiationem principii vel Logici:*  
per

per elenchū quēpiā & fallaciter ex q̄stio-  
ne juris, in propositione adsumti: vel spe-  
cialis artis, de cuius thesi controverti-  
tur, in q̄stione facti in adsumptione per-  
peram substrati d: Ista per datam ad  
oppositas rationes instantiam aliquam,  
inversionem, vel ad impossibile, aut absur-  
dum reductionis modum e: Ut docet Lex  
vigesima secunda: prosyllogismis probatio-  
num sufficienter prolatis, Defensor tandem  
objectionis nodum solvito: & directā; vel,  
si non potest aliter, obliqua via rationes ob-  
jectas refutato.

a) si vel nihil amplius in prosyllogismo sit pro-  
batum: quam quod erat in Objectione principali  
adsertum: vel prosyllogismi antecedens sit cum  
principali aq̄vè  $\kappa\epsilon\iota\upsilon\omicron\upsilon\delta\upsilon\upsilon\upsilon$ , aut incertum: ut  
tunc ulterius prosyllogismi clariores, & certiores  
sint ab Opponente producendi: nisi principalem  
objectionem probatione destitutam relinquere ma-  
lit. b) in probationibus enim hisce tamdiu pro-  
grediendum, quoad veniatur vel ad eam, quae ne-  
cessaria sit, & omnibus cognita: vel ad probabi-  
lem, cui sine absurditate magna refragari non li-  
ceat. utpote omnibus receptam. Viv. d. lo. de disp.  
c) ut: si maxima quēpiam juris Logici, in argu-  
mento

mentorum mutua ad arguendum facultate, per  
fallaciam causæ, effecti, subjecti, accidentis, op-  
positorum &c. dolo, vel errore, sit perperam, con-  
tra Topicas Leges, usurpata: quod in propositio-  
ne, vel majjore viciu[m] deprehenditur. d) si pro-  
nunciatum aliquod pro theoremate artis, ex qua  
thesis est depromta, sit in adsumptione vel Minore  
productum: quod illius artis principis revera non  
sit superstructum. e) si contra essatum adversa-  
rii non universaliter verum proferatur exemplum  
dusimile: si illius argumentum inversum retorqve-  
atur in ipsum, quia Respondentis illud causam  
tueatur melius: si ex adversarii opinione colligan-  
tur absurda, impossibilia, contradictioni obno-  
xia &c. Quod eodem ferme modo respondendi di-  
versitatem L. Vives consideravit: quando vult ar-  
gumentationem confectam, vel repelli, quam ne-  
gatur bene colligi: vel dissolvi, cum profertur ca-  
ptio, que distinctione solvitur: vel eludi: cum ad-  
fertur absurdum: vel deniq; retundi, cum fortius  
contra argumentum opponitur: lib. ult. de disp.

XXXVII.

Tertium, ut in his omnibus respon-  
dendi modis thesin suam controver-  
sam cavtè teneat: & solutiones obje-  
ctarum rationum semper ad genuina  
principia dirigat, e quibus thesin su-  
am exstructam putat; ne, cum alteram  
in

in antecedente partem probari sibi postulat, ad alterius probationem, quæ petita non erat, se abduci sinat *b*: neve a thesi dilapsus dictorum, vel factorum suæ sectæ defensionem, sibi non necessarium *c*, in se recipiat: adversæ vero partis testimonium si proferatur, ut suspectum repellat: & sic Legi vigesima tertie obediat: Respondens statum controversiæ probato, solutionem ad principia suæ thesios dirigit: nec ab hoc scopo ad aliena abducitor: suas non aliorum theses defensato.

*a*) ut: si Opponens probationis suæ fundamentum principio superstruxerit vel falso, vel alieno: exempli gratia: thesin Theologicam, de communicatione Idiomatum in Christo, vel presentia ipsius corporis in coena Dominica, ex principio quopiam Physico, de corporis naturalis proprietatibus, refellendo: tota mox repudietur ex elencho petitionis principii ratiocinatio: quæ principio superstructa sit alieno: cum Theologia principium adgnoscat longè aliud: nimirum patefactionem divinam, nullis vel ethicis, vel Physicis principiis subvertendam. *b*) sed cautissimè, ut sibi probetur τὸ κρινωμένον, h. e. controversiæ status, id solum agat, & eo adversarium adigat. *c*) Quamvis enim,

enim, si vel sue partis, vel utring, probate, objiciatur testimonium: prudenter ex loco sit allegato a Respondente dispiciendum: quocum suis thesibus id conciliare queat, diversitatis aliqua ratione demonstrata, vel calumniosa allegatione detecta: si tamen ita manifesta sit, ut obvelari nequeat, antilogia: de aliorum incommode vel imprudenter sive factis, sive dictis magnopere laborare non debet: sed adversarium ad theses rationibus, non auctoritatibus in pugnandas redigere: quod non aliorum temere, vel periculose dicta, vel facta; sed suas solummodo theses susceperit in presenti palestra defensandas. d) quia testimonium inimici non valet adversus inimicum, secundum Jurorum regulam.

XXXIIX.

Quartum, ut, si quaestiones ab Opponente moveantur, quæ ut plurimum captiosæ: magnopere sibi in dando caveat responso, ne in illarum decipulas incidat. Si proponantur enim quæ videntur sincerè: tum si sit unica, responso difficultatem non habet: si plures videndum, consentaneæ sint omnes inter se, vel diversæ: ut illo casu generalis & unica responsio sufficiat ad omnia: hoc vero singulis singulæ seorsim dentur a:  
sed

sed utrobique tales: quæ neque plus, neque minus, neque aliter, quam fuit quaesitum respondeant; quæ positis thesibus, & ante datis solutionibus non sint adversæ. Sin *ambigua*; vel *captiosa*: aut distinctio prius exposcenda *b*: aut antequam respondeatur in hanc vel illam partem, per ἀντιρωτήσιν quaerendum, ex interrogante, quid inde velit conclusum *c*: aut etiam si responsio in promptu sit nulla: tunc vel quaestio alia æque difficilis est reponenda *d*: vel responsio plane detrectanda: quia nimirum palæstra non examinis, vel quaestionis: sed disputationis gratia sit instituta: prout sapienter monet Lex vigesima quarta: *Si quaestionibus rem agat. Opponens: ut cavetè & distincte respondeat: vel responsionem nimis difficilem declinet quovis modo Defensor videto.*

*a*) ut fallacia, secundum plures, quam vocant, interrogationes, occurratur: *b*) ut tunc responsio in hunc sensum, quem interrogans elegerit, sit expedienda. *c*) ut responsio cum protestatione, salva rei veritate, detur: quod Respondens, non animo adserendi aliquid certi, responsum, cui velit

velit alligari, proferat: sed duntaxat exercitiū  
causa, vel donec, quid inde velit elicere aduersa-  
rius, experiatur, periclitandi gratia: ut postea sibi  
in contrariam partem responsio sit integra L. Viv.  
de disp. fin. Agell. lib. 16. c. 2. d) ut lacesitus par  
pari reponat: exemplo pastorum apud Virg. Ecl. 3.  
anigmatibus solvendis certantium: Xenophontis &  
Aspasie apud Æschinem Socraticum: quem locum  
Cic. lib. 2. de invent. convertit. Thrasonis & Tha-  
idis apud Ter. in Euv. act. 3. s. 1. & omnium clarissi-  
mo ipsius Christi in hist. Evāg. contra Phariseos dis-  
putantis: Matth. 21. 23. Marc. 11. 28. Luc. 20. 2.

XXXIX.

Quintum denique, ut si nullum soli-  
dæ Responsionis aduersus Opponen-  
tis rationes, quibus se constrictum vi-  
det artissime modum reperire queat:  
siquidem a thesi sua discedere præ ve-  
ritatis studio nequeat deliberandi de  
solutione spacium meliore petat: aut,  
si non serio disceptetur, ab ipso Oppo-  
nente vel auditore quopiam solutio-  
nem, si norit ille meliorem exposcat:  
si autem veritatis luce collustratum  
se adgnoscat, quod candidi Disputato-  
ris est, thesin suam deserat, & veritati,  
cujus investigandæ gratia disputaba-  
tur, jam inventæ locum concedat: ne

E

for-

forſitan in Legem vigefimam quintam  
impingat: Nullam, ſi Defenſor reſponſio-  
nis ſufficientis apertam ſibi viam videat:  
aut deliberandi ſpaciū poſcito: aut ab Op-  
ponente vel alio quovis melius reſponſum  
impetrato: aut ſi ſe convictum videat, ve-  
ritati, deſerta theſi, cedito.

a) Quamvis enim hoc in ruborem forte nos  
dare poſſet: concedamus tamen: modo ipſi verita-  
tis fructum teneamus: ut ſi aberraffe ſentiamus  
nos, revertemur in viam: ſive ultro ſive ab alio ad-  
moniti. Satius eſt recta ingredi via, quo intendi-  
mus: quam adverſario non concedere de victoria,  
& pertinaciter tueri falſum. In victi quidem per-  
ſiſteremus: ſed contra verum: à quo vinci longe preſtat  
q̄ contra illud tendere. Vincti ab homine, leve eſt, ac  
breviſſimum dedecus, ſi eſt dedecus: falli autem  
ac decipi malum eſt & miſerum. Honeſtum eſt &  
viro dignum in ſententia permanere: verum hac  
conditione: niſi alia vicerit melior ſententia:  
ut Tullius in oratione pro Murana iudicat. Ceden-  
dum eſt enim veritati omni, non pie modo: ſed  
etiam profane: & præcepto Sapientis obtemperan-  
dum: quo jubemur non contradicere verbo veri-  
tatis ullo modo. Culpam enim imprudentie vel er-  
roris convictam pertinaciter tueri, alteram eſſe  
culpam Fabius exiſtimat.

X L.

Illam vero per ἀποδωξίω, ἀκουσθέν, ἀπό-



ἀπόρατον, ἀνόμενον τῷ πρῶτῳ, κατα-  
φρόνησιν, ἀποπλάνησιν, ἀπίπληξιν, vel  
ἀπίμνησιν &c. respondendi rationem,  
quando argumentum obiectum vel  
*simpliciter*: aut cum increpatione per-  
sonæ; aut ironico & amarulento risu,  
gestuq̄, tanquam ineptum, insul-  
sum, frivolum, stultum &c. ele-  
vando rejicitur, utpote responsione in-  
dignum: vel *digressionibus* & aliena-  
rum rerum intermixtione adversarius  
obruitur: homine Philosopho, &  
viro bono prorsus indignam a si Dispu-  
tator fugiat: Sophistis autem & scur-  
ris hujusmodi solutionum formas re-  
linquat: tum, quod Modestum, pru-  
dentem, & sapientem decet virum, præ-  
stat. Lex igitur in postremis *vigesima  
sexta* talis esto: *Refutatio rationum ad-  
versarii, qualescumq̄, sint illa, sine personæ  
injuria, sine risu aut gestu ignominia, si-  
ne fraude Sophistica, semper candida, &  
veritatis indagatrix esto.*

a) Quamvis enim maxime videantur ἀσύ-  
στοτα, ἀδύνατα, ἀδόξα &c. h. e. absurda, fri-  
vola, inepta, stolidia &c. quæ Disputator in me-

diu profert: consultius tamen & rectius ager vir bonus, modestus, & candidus: si æquo animo respondeat: & modestè illam absurditatem & ineptiam argumenti, per rationes rãto clariores ostendat: q̄, si ad illas Sophisticas, & scurriles, cum ignominia & injuria p̄sonæ adversarii conspurcatas, nõ tam respõdendi, q̄ respõsiones declinãdi technas decurrat. A quib. si nõ absteineat Disputator. Disputatio frivolis altercationibus, conviciis scurrilib. sarcasmis ignominiosis, & anilibus atq; deliris rixarum contentionibus non carebit: quas tamen, ut pestiferam ab hac nobili palestra luem, procul abesse decet: nisi, pro Disputatione Philosophica, scurrilia malis scommata, & Sophistica nugamenta.

Sed in præsentia de legitima Disputandi ratione sufficiant ista. Deus Opt. & Max. ipsa Veritas Spiritu suo veritatis omnes Disputatores ita dirigat: ut veritatem solam & unicam in Palæstra quisq; sua summis viribus indagare queant & indagatam humiliter adorare satagant.

#### COROLLARIUM.

**N**E forte cuiquam, in materia vulgo minus trita, Disputandi desit, in hoc avspicio nostrarũ exercitationum, primò materia: Quæstionem subjiciemus, de animæ hominis origine secundaria Philosopho-Theologicam: qua vix ullam reperiemus inter litteratos, in contrarias partes, ab acutissimis

tissimis quibusque ingenii, majori contentione discussam, spinosioribus & perplexioribus contradictionum & absurditatum in utramque partem adparentium plurimarum rationibus secundam. Ex cujus controversissimae quaestionis acerrima duceptione, misis Ethnicorum, Pythagorae, Platonis, & Aristotelis somniis: miso item Origenis in Ecclesia, dudum ante in Synodo Constantinopol. teste D. Phil. lib. 3. Chron. in hist. V. Synodi, condemnato phantasmate, duae potissimum sunt opiniones, inter se discrepantes, subortae: quarum prior, animas hominum singulorum corporibus, in utero matris ex semine parentum efformatis, ex nihilo, a Deo indies creatas, certo tempore calitus, & immediate novas inseri: posterior vero, easdem una cum corpore, potentia seminis parentum, vi benedictionis, & operationis divinae subsulta, per traducem ex parentibus in sobolem propagari existimat.

Quarum Disputatores in tres classes distribui possunt. Prima recipit eos, qui de veritate alterutrius investiganda desperantes, & difficultate perplexissimarum rationum sibi contradicentium absterriti, sunt Academicam ἐποχὴν amplexi: ut, posteaquam utramque disputarunt satis argute in partem, sub iudice litis decisionem relinquunt. In quorum numero fuit: ex veteribus Augustinus, lib. de anim. & ejus orig. de lib. arbitrio. lib. 3. c. 21. Epist. 29. ad Hier. lib. 5. contr. Julianum.

Ex recentioribus D. Phil. Mel. d. supra loco, &

in lib. de anim. sub definit. anime Ecclesiastice:  
Petrus Monedulatus Lascovius, lib. de hom. c. 11. 12.  
David Chytr. part. 2. com. de mort. & vit. atern.  
cum aliis pluribus.

In secundam omnium maximam maximo  
transiere numero, qui prioris opinionis in se defensi-  
onem amplexati fuerunt. Cujusmodi ex vetustio-  
ribus fuerunt: Hilarius, lib. 10. de Trin. Theodore-  
tus: Irenaeus: Cyprianus: Chrysostomus: Athanasius:  
Cesarius dial. 2. Athenagoras, lib. de mort. Prima-  
sius Episc. Africanus: Basilius: Damascenus: Nazi-  
anzenus: Cyrillus: Ambrosius: Hieronymus: Prosper:  
Prudentius: Gregorius I. Leo Papa epist. decret. 91.  
tom. 1. Bonaventura: Scotus: Durandus: Occam: Lom-  
bardus dist. 18. lib. 2. sent. q. 3. Th. Aquinas: Petr.  
de Alliaco: Nicolaus de Orbellis. dist. 2. lib. 2. sent.

Ex recentioribus: Cusanus: Cajetanus: Cael. Rho-  
diginus, lect. antiq. lib. 8. c. 44. Lud. Vives lib. 2. de  
anim. Lev. Lemnius, lib. 1. de occult. natur. mirac. c.  
11. Pavl. Scalichius lib. 1. misc. c. 3. Jacob. Schegkius  
in fin. lib. 1. de plast. sem facult. Joan. Fernelius lib.  
2. de nat. part. Medic. c. 12. 17. Bruno Seidelius lib.  
de anim. part. 2. Stigelius in explic. lib. Phil. de ani-  
ma: in pr: Andr. Alciatus in l. si quis. 38. §. qui  
abortiones. 5. D. de poen. Matth. Vesen. in par. D. de  
stat. hom. n. 3. item ad L. Corn. de sic. n. 7. Et omni-  
um acerrimi Henr. Bullingerus dec. 4. serm. 10. P.  
Martyr, c. 5. ad Rom. Andreas Hyperius, Meth. The-  
ol. c. 2. tit. de anima: Christoph. Pezelius part. 3.  
Obj.


Obj. & Resp. Philipp. loc. de pecc. origin. Nicol. Hemmingius in hist. Christ. Theodorus Beza lib. quest. & respons. item c. 15. 1. ad Corinth. ad Rom. c. 5. Bened. Aretius in probl. Theolog. Jo. Jacob. Gryneus in lib. Synops. historie hom. th. 104. cum pagellis aliquot sequentib. Rodolphus Goclenius: & quos ille in Psychologia sua produxit: Franciscus Junius: Joan. Jacobus Colerus Figurin. M. Rodolf. Hospinianus: Herm. Vultejus Jctus: & pleriq; alii, Joan. Calvini in re Sacramentaria, & predestinationis controversia, cui favere videtur hac opinio, sectam complexi.


Tertiam ingressi, posteriorem sunt opinionem amplexi. Qui licet numero non ita multi, fama tamen & auctoritate sunt illi non minus eximii. Cujusmodi s. at ex vetustioribus: Tertullianus: Arnobius: Apollinaris: Greg. Nysenus: & Augustinus, dubius animi quidem: sed in hanc partem magis proclivis: ut ex ipsius epist. 7. item de genes. ad lit. l. 10. c. 16. satis est conspicuum. Ex recentioribus est D. Mart. Lutherus: qui licet a Br. Seidelio referatur inter Academicos lib. de Anim. p. 383. cum videatur in lib. de concil. & in enarrat. cap. 15. Joan. Contrarium innuisse: Clariss. tamen Theologus, & Discipulus ipsius fidelissimus, D. David Chytraeus testis est αὐτόματος, & αὐτόματος: quod ex ore ipsius audiverit. illum in hanc posteriorem classem in postrema disputatione, q. Anno clv. l. XLV. habuerat, transitum fecisse: dict. com. de mort. &

*Vita etern, part. 2. non procul a principio. Quem se-*  
*cutus est in ejusdem acri defensione Tilem. Heshu-*  
*sus, pluribus in medium productis rationibus. lib.*  
*2. de peccat. c. 2. Ægidius Hunnius referente Gocle-*  
*nio in Psycholog. Jacob. Herbrandus comp. Theol.*  
*lo. de peccato: Tim. Kirchnerus in Meth. loc. com.*  
*Theolog. lo. de peccato Orig. Balthasar Menzerus*  
*tom. 3. Theolog. Disp. Marpurgens. disp. 9. cum seq.*  
*J. Schroderus disp. 6. compendii Herbrand. th. 7.*  
*de pec. orig. Hasenrefferus lib. 3. Meth. Theol. loc.*  
*2. Jerem. Nicolai lib. 1. Method. Theol. c. 11. Et*  
*præter hos omnium acutissimi per Germaniã Phi-*  
*losophi: Caspar Pevcerus, cujus illustrem hac de*  
*re commentationem refert Gocl. in Psychol: Nic.*  
*Tavrellus in Triumph. Philoph. p. 28. Timotheus*  
*Brightus in animadversion. ad Phisicem Scribonii*  
*cap. 1. lib. 1. Joan. Ludovicus Havenrefterus, re-*  
*ferente Goclenio in Psych. Andreas Vilkius, illustris*  
*Gymnasia Gothani R. disp. de hominis corpor. &*  
*anima: th. 104. usq. ad finem: & alii plures.*

*Quorum in hac postrema classe constitutorum*  
*sententiam nos hoc tempore, quod illa Sacros. scri-*  
*pture oraculis, & Christiane fidei articulis, ratio-*  
*nibus item exinde constructis exactius congruere*  
*videatur, defensare conabimur: salvo interim*  
*aliorum, prioribus in clasibus aliter*  
*sentientium, iudicio.*

**F I N I S.**










1000





Handwritten text on the top edge of the book's cover, likely a title or reference number, written in a historical script.



Ks 162

ULB Halle 3  
005 819 687



K017

rv	c	nem filioꝝ ꝛ mīcꝝ ai
vi	b	nem noꝝ cōt. ta no.
xxvi	c	accepit panē ꝛ bñdix.
<u>mic vi</u>	a	no pane no petam.
vii	c	nem filioꝝ ꝛ mīcꝝ ca.
viii	b	obliti sūnt ꝛa. sume.
xiii	c	accepit ihc panem.
<u>luc iii</u>	a	hic lapidi huic ut
ri	a	ne noꝝ cōt. ꝛa. fiat.
xiiii	a	facto manducare ꝛa.
xxii	b	accepto pane grās.
xxiii	c	accepit pane ꝛ bñd.
<u>ro vi</u>	d	panem de celo ded
		illis manducare.
Ibi		panis uerus est q̄
		de celo descendi.
vi	f	ego sū ꝛa. uerus
xiii	c	cu ꝛ tūtoꝝ pane ꝛoꝝ.
xvi	c	uiscē sūpōit ꝛ pane.
xvii	d	accepit pane ꝛ ded.
<u>icorꝝ</u>	d	qm̄ si angm̄ none
		quitate corꝝ <sup>is</sup> tom̄
		ni est.

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

GI RENNE.  
ÆBURG. SAX.  
J. U. D.

*ratione rectè*


IT ANDI

*mentatio*

SPUTATIONIS IN  
RTENSI EXAMINI  
bjeeta:

NDENTE  
USSIO CALEN-  
GO SAX.  
itorio publ.

I SAXONUM.  
lect. Sax. & Reip. Erfurt.



ENÆ,  
tophori Lippoldi.  
Birnstillii Bibliop. Erfurt.

0 5.

2.2.2